This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600020322F

E.BIBL.RADCL.

1913

PLANTAE RARIORES

QUAS IN ITINERE PER ORAS

JONII AC ADRIATICI MARIS

ET

PER REGIONES SAMNII AC APRUTII

COLLEGIT

IOANNES GUSSONE

MED. DOCT.

ET PRAEFECTVS H. R. BOTANICI IN *BOCCADIFALCO.*

NEAPOLI,

EX REGIA TYPOGRAPHIA.

MDCCCXXVI.

FRANCISCO I.

SICILIARUM ET HIERUSALEM REGI

ETC. ETC. ETC.

Quum Tu, Munificentissime Rex, et Botanices, atque Agriculturae scientias et ipse colas, et ad eas excolendas, promovendasque

Tuis jussis, atque subsidiis me semper excites; eos fructus, quicumque ii sint, qui meis e peregrinationibus sunt enati, Tibi, tanquam efficienti causae, tribuendos esse nemo inficiabitur. Idcirco Nomini Tuo sacrare, Tuisque sub auspiciis eos publici juris facere par, aequumque duco. Hoc enim modo Tuae gloriae absque assentatione, et animi mei Tibi devinctissimi studio consultum iri arbitror.

Accipe itaque hoc unum, quo Te prosequi mihi licet, grati animi testimonium, Tuaque Regali benevolentia ne me indignum existimes, rogo, deprecorque.

Dabam Neapoli IV. Kal. Jun. MDCCCXXVI.

Humillimus et fidelissimus subditus
JOANNES GUSSONE.

PRAEFATIO.

Cum oras Jonii ac Adriatici maris a Rhegio ad Barium, et inde nonnullas regiones Samnii et Aprutii elapso anno 1824 lustraverim, hinc stirpes rariores a me collectas nunc demum haud frustra publici juris facere arbitratus sum; nam ex earum enumeratione non solum et alia nostrae Florae vegetabilia, sed et notiones quaedam distributionem geographicam plantarum hujus extremae Italiae partis illustrantes eo magis innotescunt. Ne tamen opus hoc in magnam molem evaderet, solam diagnosim specificam speciebus rite cognitis addendam, dubiasque vero, vel novas descriptionibus prolixioribus ac iconibus illustrandas curavi; in qua re conficienda si qua minus accurate fecerim, in Botanicorum indulgentia omnino conquiesco. Interim me plurimum debere profiteor Clarissimis

viris de re botanica italica optime meritis *Bertolonio* in primis, *Morettio*, *Savio*, *Targionio*, *Tenorio* et *Vivianio*, qui suas bibliothecas, vel herbaria perlustrandi mihi copiam fecere. Nec silentio praetereundum est, quantam utilitatem mihi comparaverit ditissima bibliotheca Magni Ducis Hetruriae *Ferdinandi III*, in quam cum aditus mihi benigne fuerit concessus, splendidissimam Floram Graecam, et innumera alia opera datum fuit consulere.

Denique monitum lectorem volo in herbario quod Horto Regio botanico in *Boccadifalco* prope Panormum addictum est, specierum hic descriptarum servata esse specimina, ita ut si dubia superveniant circa species in hoc opere recensitas, libenter illas conferre quisque botanicorum possit.

PLANTAE RARIORES.

CLASSIS I.

MONANDRIA-MONOGYNIA.

SALICORNIA *AMPLEXICAULIS. Vahl.*

S. foliis cordatis orbiculatis subtus gibbosis amplexicaulibus, spicis axillaribus cylindricis obtusis. *Vahl. sym. bot. 2. p. 1, et enum. 1. p. 13. Will. sp. pl. 1. p. 26. Pers. syn. 1. p. 5. Poir. dict. enc. 6. p. 461. R. S. s. veg. 1. p. 41, et mant. p. 59. Spr. s. veg. 1. p. 18. Moretti dec. 3. p. 3.*

Ic. Kali humile in racemi modum, glaucum, succosissimum. *Cup. panph. sic. 1. t. 17.*

In salinis Japygiae; *Taranto alla Salina grande.* Junio, Julio. ⊙

MONANDRIA--DIGYNIA.

CALLITRICHE *VERNA. Lin.*

C. foliis trinerviis superioribus aggregatis majoribus, fructuum margine obtusiusculo. *Lin. sp. pl. 6. Will. sp. pl. 1. p. 28. Lam. dict. enc. 1. p. 564. Pers. syn. 1. p. 5. R. S. s. veg. 1. p. 46. Spr. s. veg. 1. p. 20. Ten. fl. nap. 3. p. 3.*

Ic. *Lam. ill. gen. t. 5.*

Callitriche Plinii. *Colum. ecphr. 1. t. 316.*

b. foliis omnibus elongato-obovatis.

c. foliis omnibus obovatis subpunctatis, fructibus tetragono-alatis.

In fossis, aquis lente fluentibus et stagnis Calabriae orientalis. Var. *c.* in stagnis prope *Cotrone.*

Aprili, Majo. ⊙

In recensitis varietatibus folia sunt semper trinervia, et fructus sessiles; idcirco cum sequentibus non confundendae.

CALLITRICHE *BRUTIA. Pet.*

C. foliis uniformibus linearibus uninerviis acutis integris subconnatis, fructibus tetragonis sessilibus.

C. foliis linearibus oppositis connatis, internodiis distantibus. *Petagna inst. 2. p. 70. R. S. s. veg. 1. p. 47. Ten. fl. nap. 3. p. 4.*

C. tenuifolia *Thuil. Pers. syn. 1. p. 6.*

Ic. *nostra t. 1.*

In stagnis prope *Scrisà* (*Pet.*), et *Cotrone* in Calabria orientali.

Martio, Aprili. ⊙

Caules filiformes, solidi, glaberrimi, non radicantes. *Folia* semper acuta, non truncata, erecto-patentia, inferiora magis distantia et longiora, vix semilineam lata, 3-4 lin. longa. *Fructus* sessiles, vel pedunculo vix semilineam longo, erecto instructi, leves, glabri.

C. *autumnali*, quam C. *vernae* proximior; at ab illa satis superque distincta. Nomen Cl. *Petagnae* utpote antiquius servandum est.

CALLITRICHE *PEDUNCULATA. Dec.*

C. foliis inferioribus lineari-spathulatis superioribus oblongis, omnibus obtusis triplinerviis integris, fructibus inferioribus pedunculatis superioribus subsessilibus. *Dec. fl. fr. 4. p. 415. Loisl. fl. gall. p. 2. R. S. s. veg. 1. p. 47.*

Ic. *nostra t. 2. f. 1.*

In stagnis prope *Gerace*, et *Cotrone* in Calabria orientali, una cum C. *verna.*

Martio, Aprili. ⊙

Caules filiformes, margine pellucidi, interne nervo notati, ad genicula aliquando radicantes. *Folia* inferiora remotiora, superiora more generis magis

approximata; omnia punctata, integerrima, obtusa, glaberrima. *Fructus* tetragoni, primum sessiles, maturescentes vero pedunculati; pedunculis 2-lin. longis, deflexis, versus apicem caulis sensim brevioribus; ita ut fructus fere sessiles in axillis foliorum superiorum conspiciantur.

Cum C. *verna* simul crescit, nec una in alteram transit.

CALLITRICHE *TRUNCATA*. *Nob.*

C. foliis uniformibus linearibus uninerviis truncatis subconnatis, fructibus inferioribus pedunculatis superioribus subsessilibus.

Ic. *nostra t. 2. f. 2.*

In stagnis Calabriae orientalis prope *Cotrone*. Martio, Aprili. ⊙

Caules setacei, tenuissimi, omnino pellucidi (non intus nervo notati), ad genicula radicantes. *Folia* sessilia, apice truncata vel bidentata, pellucida, integerrima, glaberrima. *Fructus* et *pedunculi* ut in praecedente, at magis globosi ac marginati.

Habitus C. *autumnalis* et *brutiae*, a quibus differt fructibus pedunculatis, et caule radicante.

CLASSIS II.

DIANDRIA-MONOGYNIA.

VERONICA *URTICAEFOLIA. Lin.*

V. caule stricto, foliis sessilibus cordato-ovatis argute serratis acutis, racemis lateralibus, calycibus quadripartitis. *Lin. suppl. 43. Vahl. en. 1. p. 77. Will. sp. pl. 1. p. 70. Poir. dict. enc. 8. p. 531. Pers. syn. 1. p. 12. R. S. s. veg. 1. p. 118. Spr. s. veg. 1. p. 73.*

Ic. *Jacq. aust. 1. t. 59.*

V. maxima. *Dalech. hist. 1165. f. 1.*

In sylvis et nemoribus umbrosis Aprutii; *Chiarino al Canale delle Capezze, Monte Corno nel bosco di S. Nicola.*

Julio, Augusto. ♃

VERONICA *ANAGALLOIDES. Nob.*

V. caule erecto glabro, foliis lineari-lanceolatis amplexicaulibus integris, racemis lateralibus, calycibus quadripartitis corolla aequalibus, capsulis ellipticis obtusis.

Ic. *nostra t. 3.*

b. caule undique pubescente, pilis apice glandulosis.

In stagnis depressis Calabriae orientalis, prope *Catanzaro al fiume Magliacane.*

Aprili, Majo. ⊙

Caulis ad nodos inferiores radicans, teres, fere solidus, erectus aut adscendens, simplex, glaberrimus vel pilis brevibus sparsis obsitus, semipedalis, pedalis et ultra, diametro 1-2 lineari. *Folia* glaberrima, lineari-lanceolata, basi latiuscula, sessilia, amplexicaulia, apice obtusa vel acutiuscula, margine integerrima, aut obsolete serrata, opposita, bina vel terna, 2-4 lin. lata, pollicem aut sesquipollicem longa. *Racemi* ex axillis foliorum oppositi, longe pedunculati; *pedunculis* folio longioribus, erecto-patentibus, glabris vel puberulis, 1 ½-3 ½ poll. longis: *pedicellis* filiformibus, apice subincrassatis, erectiusculis, glabris vel puberulis, 1-4 lin. longis, bracteatis; bractea lineari duplo triploque longioribus. *Calycis* foliola glaberrima, lineari-lanceolata (quae in V. *anagallidi* ovato-elliptica), obtusiuscula, capsula subaequalia, adpressa. *Corollae* pallide coerulescentes vel albidae, venis saturatioribus notatae; laciniis tribus majoribus calyce aequalibus, diametro vix lineari. *Capsulae* ellipticae, glaberrimae, obtusae, fere emarginatae, lineam longae, semilineam latae. *Semina* subrotunda, pallide lutescentia, levia.

Species V. *anagallidi* simillima, et una cum ipsa iisdem in locis vegetans; at quibus certis characteribus distinguatur, difficillime determinandum. Habi-

tus tamen ita diversus, ut etiam e longinquo dignoscatur facillime. Cultura non mutatur.

PINGUICULA *GRANDIFLORA. Lam.*

P. nectario subulato recto longitudine floris, germine staminibus superincumbenti, capsula conica. *Lam. dict. enc. 3. p. 22. Pers. syn. 1. p. 17. Bertol. amoen. ital. p. 325. Pollini fl. ver. 1. p. 24. R. S. s. veg. 1. p. 189. Spr. s. veg. 1. p. 48.*

Ic. *Lam. ill. gen. t. 14. f. 2.*

Ad frigidas umbrosasque scaturigines montium Aprutii; *Majella nel vallone di S. Spirito, e nella Valle di Orfenta; Monte Corno sopra Pietra Camela.*

Julio, Augusto. 4

Variat planta haec *foliis* 1-2 pollices longis; *scapo* glabro, vel apicem versus pubescente; *nectario* corolla breviori vel aequali, at semper recto ac subulato; lacinia intermedia *labii inferioris* integra vel quandoque emarginata; *labio superiore* ut plurimum bilobo, non vero emarginato. Descriptio Cl. *Bertolonii* optima. An P. longifoglia *Dec.* hujus varietas ob mutabilem foliorum longitudinem? Etiam P. hirtiflora *Ten. fl. nap. 3. p. 18.* huic proxima, sed corollae labii inferioris laciniis omnibus emarginato-bilobis vel bipartitis, et fauce villosa distincta.

caule fruticoso tomentoso, foliis petiolatis obovatis crenulatis inferioribus trilobis, lobis lateralibus minoribus ovatis obtusis, laciniis calycinis acutis. *Lin. suppl. 88. Will. sp. pl. 1. p. 130. Vahl. en. 1. p. 225. Poir. dict. enc. 6. p. 587. Pers. syn. 1. p. 15. R. S. s. veg. 1. p. 256. Spr. s. veg. 1. p. 68.*

Ic. *Sibt. fl. gr. t. 17.*

S. cretica non pomifera. *Clus. hist. 1. p. 343.*

In collibus aridis maritimis Calabriae orientalis; *Giojosa;* et Japygiae, *Taranto.*

Aprili, Majo. ♄

S. sypelea *Lam.* huc spectat; sed. S. Clusii *Jacq. hort. Schoen. 2. p. 35. t. 195.* est species diversa monente Cl. *Poir. in dict. enc. suppl. 5. p. 46., et R. S. in mant. p. 211.*

SALVIA *VIRIDIS. Lin.*

S. foliis ovatis obtusis crenatis, calycibus fructiferis deflexis, bracteis basi appendiculatis. *Lin. sp. pl. 34. Desf. atl. 1. p. 20. Will. sp. pl. 1. p. 132. Vahl. en. 1. p. 255. Pers. syn. 1. p. 16. Poir. dict. enc. 6. p. 592. R. S. s. veg. 1. p. 254. Spr. s. veg. 1. p. 67. Ten. fl. nap. 3. p. 22.*

Ic. *Sibt. fl. gr. t. 19. Desf. l. c. t. 1.*

In collibus aridis maritimis totius Calabriae orien-

talis, Lucaniae, Japygiae, Peucetiae, Apuliae, una cum *S. Hormino*.

Martio, Aprili. ⊙

Caules erecti, pedales vel sesquipedales, tetragoni, angulis purpurascentibus, lateribus linea albida notatis, setulisque albidis reflexis undique hirsuti, simplices vel basi decussatim ramosi; ramis erectis vel adscendentibus. *Folia* cordata vel oblique cordata, ovata vel ovato-oblonga, obtusa, 1-1 ½ pol. longa, 6-12. lin. lata, rugosa, crenata, supra scabriuscula, subtus pubescentia; superiora sessilia, inferiora et radicalia petiolata, petiolis semiteretibus, supra canaliculatis, 6. lin. ad 1 ½ pol. longis. *Bracteae* uniformes, virides, rhombeae, acuminatae, nervosae, rugosae, margine crenulatae, calycibus breviores vel subaequales, parum concavae, apice patente vel reflexo, hirsutae praesertim basi, ibique purpurascentes ac pellucidae; appendiculatae, bracteolis linearibus vel lanceolatis, ciliatis, integerrimis vel rare basi denticulatis, 4-5. lin. longis. *Calyces* tubulosi, ante anthesim erecti, in fructu compressi et patentes, demum reflexi, basi incrassati, striati, striis purpurascentibus, undique hirsuti, setis albidis quandoque glandula terminatis, bilabiati; labio superiore plicato, truncato, tridentato, dente intermedio brevissimo aristaeformi, lateralibus obtusis, mucronatis; inferiore bidentato, dentibus triangularibus aristatis. *Corollae* tubo calyci aequali, curvato, in medio constricto, basi dilatato, albido; labio superiore fornicato, pubescente ac glan-

dulis albidis minutissimis consperso, integro, roseo vel post anthesim violaceo; inferiore dilute purpurascente, tripartito, laciniis lateralibus angustioribus, ovatis, suberectis vel horizontalibus, media latiore, concava, emarginata, obovata. *Staminum* filamenta appendicibus transversis semisagittatis lateraliter connexis, appendicium angulis in corollae fauce tanquam denticuli duo prominentibus, et supra appendices fasciculo pilorum instructa. *Stigma* bifidum, vix exsertum. *Flores* verticillati, 4-6. pro quovis verticillo, pedunculati; pedunculis vix ½ -1. lin. longis, ad latera hirsutis coloratis, interna facie viridibus glabris, superne latioribus, intermedio longiore compresso, lateralibus brevioribus depressis.

Descriptio specifica *Sibth. in fl. gr.* optima; minus accomodatae, quae a *R. S.* et *Spr.* huic speciei tribuuntur; nam nec caulis lanatus, uti asserit *Spr.*, nec calyces reflexi huic tantum speciei proprii.

S. Rosani, *Ten. fl. nap. pr. app. 4. p. 1.* ab hac specie forsan non differt; et *S. Horminum*, *Lin. sp. pl. 34.* cum *S. viridi* promiscue proveniens, quamplurimis collatis exemplaribus non videtur diversa nisi bracteis superioribus sterilibus, coloratis, inappendiculatis, uti jam monuit *Smith. l. c.*; ideoque tanquam hujus varietas esset habenda, sicut etiam *Desf.* aliique putarunt, sed cultura non mutatur.

SALVIA *HAEMATODES. Lin.*

S. foliis rugosis crenatis supra nudiusculis; inferioribus cordato-ovatis petiolatis; caulinis sessilibus dentatis bracteisque cordatis acuminatis, caule calycibusque piloso-glandulosis, verticillis sexfloris. *Sebast. et Mauri fl. rom. prod. p. 8. Lin. sp. pl. 35. Will. sp. pl. 1. p. 135. Vahl en. 1. p. 263. Pers. syn. 1. p. 26. Poir. dict. enc. 6. p. 598. R. S. s. veg. 1. p. 244.* excluso ab omnibus synonymo *Scopolii. Spr. s. veg. 1. p. 66.*

S. Barrelieri. *Tenore fl. nap. 1. p. 9.*

S. Tenorii. *Spr. pug. 1. n. 3,* et *s. veg. 1. p. 65.*

S. virgata. *Savi* (non Ait.) *bot. etr. 2. p. 4.*

Ic. *Ten. l. c. t. 2.*

Horminum sanguineum asphodeli radice. *Triumf. obs. 69. t. 7.*

H. sylvestre majus haematodes. *Barr. ic. 185.*

In collibus maritimis Calabriae orientalis, Lucaniae, Japygiae, Peucetiae, inter frutices.

Aprili, Majo. ♃

Radix ramosa, ramis perpendicularibus vel subobliquis, plus minusque incrassatis, at non tuberosis. *Caules* tetragoni, piloso-viscosi, bipedales vel orgyales, simplices vel parum ramosi, erecti. *Folia* radicalia cordato-ovata vel oblonga, margine integra aut prope basim eroso-sinuata, subtus villis albidis sparsis obsita, longe petiolata, 3-9. poll. longa, 2-6. poll. lata, concoloria vel supra maculis sanguineis no-

*

tata. *Flores* verticillati, in racemos elongatos caules vel ramos terminantes dispositi, sex pro quovis verticillo, sub anthesi ad unum latus versi. *Pedunculi* villosi, subteretes, lineam longi. *Bracteae* virides, non aridae, pedunculis aequales vel longiores. *Calyces* superne colorati, nervosi, hispidiusculi, bilabiati; labio superiore 2-3-dentato, dente intermedio minimo vel obliterato; labio inferiore longiore, bidentato: dentes calycini omnes acuti, mucronati, subincurvi. *Corollae* labium superius pilis longis hirtum, et glandulis albidis conspersum, emarginatum, falcatum; inferius tripartitum, lacinia media dependente, subrotunda, obcordata, concavo-saccata, emarginata, superne glaberrima, subtus ad carinam glandulosa ac hirta; laciniis lateralibus horizontalibus, supra glabris sulco notatis, subtus hirtis, margine revoluto, ideoque fere concavis, integerrimis, acutis, subfalcatis, lineari-oblongis; tubus albidus, glaber. *Staminum* filamenta albida, incurva, appendicibus semisagittatis, brevibus, concavis, altero latere invicem connexis purpurascentibus, altero latere margine nigricante et apice extra corollae faucem subexserto. *Antherae* nigrescentes. *Stylus* glaber, albidus, falcatus. *Stigma* bifidum, extra emarginatam galeam prominens.

Nescio cur *Linnaeus* et post eum *Vahl*, *Will.*, *R. S.* et *Spr.*, locis citatis, folia tomentosa huic plantae tribuant, dum haec notat *Triumf. l. c.* » *hujusmodi folia parum omnino lanuginosa pulchre viridem colorem ostentant*; et *Barr. obs. n. 234.* ait » *folia* ...

glabra rugosa, sed laeto virore nitentia; ideoque optime in *Fl. rom. l. c.* folia dicuntur » *rugosa, crenata, supra nudiuscula.* Praeterea nec radices re vera tuberosae dici merentur, uti ex descriptione, et icone *Barrelieri* patet, nec non ex speciminibus lectis eodem loco a *Triumfetti* indicato, quamvis iste tuberoso-fasciculatas depingat: hinc synonyma *Tenorii, et Sprengelii* ad hanc speciem spectant; at illud *Scopolii, fl. carn. ed. 2. p. 29. n. 36.* mihi excludere visum est, nam verticilli 20-24-flori, bracteis aridis instructi, tubus corollae ferrugineus, filamenta ferruginea, antherae coeruleae, stylus ferrugineus minime in nostra planta observantur; ideoque planta *Scopolii* novam forsan constituit speciem.

CLASSIS III.

TRIANDRIA - MONOGYNIA.

VALERIANA *MONTANA. Lin.*

V. caule recto simplici, foliis ovato-oblongis subdentatis, imis obtusis summis acutis, floribus paniculatis triandris. *Lin. sp. pl. 45. Will. sp. pl. 1. p. 178. Pers. syn. 1. p. 38. Poir. dict. enc. 8. p. 303. R. S. s. veg. 1. p. 354. Spr. s. veg. 1. p. 141. Ten. fl. nap. 3. p. 30.*

Ic. *Iacq. austr. t. 269.*

V. alpina globulariaefolio. *Moris. hist. 3. s. 7. t. 15. f. 11.*

b. foliis inaequaliter serratis, superioribus cuspidatis. *Bertol. excerpt. de re herb. in opusc. scient. p. 222.*

In herbidis saxosis montium Aprutii; *Monte Corno, Monte Costone, Monte Intermesole, Majella.*

Julio, Augusto. 4

Var. *b.* ludit praeterea caule omnino glabro vel basi velutino; et haec in *Monte Corno*, et in *Monte Costone* praecipue occurrit.

FEDIA *SPHAEROCARPA. Nob.*

F. bracteis lanceolatis acutis ciliatis margine scariosis, fructibus hemisphaericis tridentatis, altero latere umbilicatis, altero convexis bicostatis (*subtricoccis*).

Ic. *nostra t. 4. f. 1.*

Inter segetes Calabriae orientalis, *Capo dell' Armi;* Japygiae, *Tricase*, et Aprutii, *Caramanico.*

Majo, Augusto. ⊙

Caulis basi pubescens, superne glabriusculus, angulis levibus. *Folia* inferiora lanceolato-linearia, integra, caulina linearia, basi pinnatifida; superiora integerrima, pilis brevibus scabra, margine saepius ciliata. *Flores* omnes corymboso-congesti, bracteis sub-concavo-carinatis, valde ciliatis. *Fructus* glabri *F. olitoriae* similes, sed apice tridentati, altero latere gibbo, altero plano; quo charactere etiam a *F. pumila Vahl., membranacea Loisl.* diversa.

An, Valerianella semine umbilicato nudo rotundo. *Moris. hist. 3. p. 104. s. 7. t. 16. f. 32*, et Phu mini-

mum. *Lobel. ic. 716. f. 2.*, a *Vahlio in en. 2. p. 21.*, et a *Loisl. not. p. 150* sub *F. membranacea* relata, et inde a *Poir. in dic. enc. supp. 5. p. 410.*, ac a *Dec. in fl. fr. supp. p. 494* exclusa, ad speciem nostram spectant? Quoad fructuum figuram conveniunt, sed icon *Morisonii* bractearum defectu discrepat.

FEDIA *PUBERULA*. *Bertol. ined.*

F. caule angulis scabro, foliis lineari-oblongis superioribus sessilibus subintegris, bracteis linearibus ciliato-serrulatis, fructu ovato subangulato non umbilicato puberulo coronato, corona brevissima oblique truncata subtridentata, dente unico latiore et longiore.

Ic. *nostra fl. sic. ined. t. 9. f. 2.*

Inter segetes Calabriae orientalis.

Aprili, Majo. ⊙

POLYCNENUM *ARVENSE*, *b. recurvum.*

P. caule prostrato ramoso, foliis subulatis sparsis distinctis subrecurvis, floribus axillaribus sessilibus, capsulis semi-liberis.

P. recurvum. *Loisl. Not. p. 151. R. S. s. veg. 1. p. 532.*

Ic. *nostra t. 4. f. 2.*

In campis sterilibus montosis, et ad vias arenosas Aprutii; *Caramanico, fiume Lavino, Piano di cinque miglia, Avezzano, Tagliacozzo, Piano de' Navelli.*

Septembri, Octobri. ⊙.

Caules glabri, scabri, substriati. *Folia* basi non dilatata ut in *P. arvensi*, nec ita rigida et pungentia. *Bracteae* longe acuminatae. *Calycis* laciniae membranaceae, acutae, bracteis breviores, *capsulis* subaequales. *Semina* compressa, minutissime punctata.

CYPERUS *MONTI*. *Lin.*

C. umbella decomposita 4-6- phylla, spicis corymbosis patentissimis, spiculis badiis lineari-lanceolatis laxe imbricatis distichis, demum remotiusculis compresso-teretibus, involucro umbella longiore, foliis late linearibus virentibus, radice repente. *Lin. supp. 102. Will. sp. pl. p. 1. p. 286. Poir. dict. enc. 7. p. 267. Pers. syn. 1. p. 64. R. S. s. veg. 2. p. 207. Spr. s. veg. 1. p. 229. Ten. fl. nap. 3. p. 48.*

C. serotinus. *Vahl. en. 2. p. 350.*

Ic. *Host. gram. austr. 4. t. 67.*

C. serotinus odoratus, radice longa, panicula et locustis latis ferrugineis compactis. *Mont. gram. t. 1. f. 2.*

In fossis et risariis Aprutii; *Teramo a S. Benedetto.*

Augusto, Septembri. ♃

Species in Italia septentrionali vulgatissima, at in nostro Regno non satis obvia, nec ultra Aprutii fines progreditur.

CYPERUS *MUCRONATUS. Vahl.*

C. spiculis lineari-lanceolatis aggregatis, involucro diphyllo, culmis suberectis apice trigonis, radice repente. *Vahl. en. 2. p. 306. Will. sp. pl. 1. p. 273. Pers. syn. 1. p. 61. Poir. dict. enc. 7. p. 239. R. S. s. veg. 2. p. 167. Spr. s. veg. 1. p. 217.*

C. distachyos. *Will. l. c. p. 272. Pers. l. c.*

C. junciformis. *Cav. ic. rar. 3. p. 2. Desf. atl. 1. p. 42. Pers. l. c. Ten. fl. nap. 3. p. 42.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 49. Cav. l. c. t. 204. f. 1. Desf. l. c. t. 7. f. 1.*

In humidis turfosis maritimis Calabriae orientalis; *Reggio, Capo Colonna, Cotrone, Cassano.*

Martio, Septembri. ♃

CYPERUS *TENUIFLORUS. Rottb.*

C. spicis corymbosis, spiculis linearibus acutis convexiusculis alternis distantibus, bractea tetraphylla, involucro umbella decomposita longiore, culmo folioso. *Will. sp. pl. 1. p. 284. Vahl. en. 2. p. 347. Pers. syn. 1. p. 63. Poir. dict. enc. supp. 5. p. 176. R. S. s. veg. 2. p. 203. Spr. s. veg. 1. p. 229.*

Ic. *Jacq. ic. rar. 2. t. 296.*

Ad rivulos et fluviorum margines, ac in humentibus Calabriae orientalis, Lucaniae, Japygiae.

Majo, Julio. ♃

LYGEUM *SPARTUM*. *Will. sp. pl. 1. p. 316. Vahl. en. 2. p. 392. Desf. atl. 1. p. 52. Lam. dict. enc. 1. p. 96. Pers. syn. 1. p. 7. R. S. s. veg. 2. p. 251. Spr. s. veg. 1. p. 237. Ten. fl. nap. 3. p. 48.*

a. spatha apice integra acuminata.

Ic. *Lam. ill. gen. t. 39.*

Avena juncifolia monogluma. *Cup. panph. 2. t. 107. Bon. t. 192.*

Spartum herba alterum. *Clus. hist. 2. p. 220, f. 2. Lob. ic. 88.*, sed radix minime exacte repraesentatur. *Moris hist. 3. s. 8. t. 5. f. 3.* pessima.

b. spatha subintegra, acuminata, vagina folii superioris involuta.

c. spatha bifida, sub apice longissime mucronata, mucrone $\frac{1}{2}$ - 1. pollicem longo, culmo enodi.

In collibus argillosis, vel argilloso-calcareis solummodo provenit; *da Reggio a Brindisi*, per omnem maritimam plagam Jonii et Adriatici.

Martio, Majo. ♃

Radix tenacissima, transversa, articulata, more *Juncorum* fibras perpendiculares emittens. *Culmi* saepius enodes. *Folia* teretia, striata, supra sulcata. *Spatha* monophylla, non diphylla ex *Vahl. Calyx* basi coalitus, apice 2-3-glumaceus, prout florum numerus, glumis enerviis, carinatis, acutis, margine membranaceis, apicem versus ciliatis, puberulis. *Gluma* corollina rare apice integra, at fere semper bifida.

II. DIGYNIA.

MILIUM *EFFUSUM*. *Lin.*

M. panicula diffusa, floribus muticis ovatis dispersis. *Lin. sp. pl. 90. Will. sp. pl. 1. p. 360. Pers. syn. 1. p. 74. R. S. s. veg. 2. p. 319. Spr. s. veg. 1. p. 250.*

Agrostis effusa. *Lam. dict. enc. 1. p. 59.*

Ic. *Host. gram. austr. 3. t. 22.*

In nemoribus Aprutii.

Junio, Augusto. ♃

MILIUM *COERULESCENS*. *Desf.*

M. panicula laxa, calycibus glabris coerulescentibus, corollae arista abbreviata, foliis glaucis ligula elongata erosa, culmis subcaespitosis. *Desf. atl. 1. p. 66. Pers. syn. 1. p. 74. Spr. s. veg. 1. p. 251.*

Agrostis coerulescens. *Poir. dict. enc. supp. 1. p. 258.*

Piptatherum coerulescens. *R. S. s. veg. 2. p. 328.*

Ic. *Desf. l. c. t. 12.*

In collibus sylvaticis, et saxosis calcareis maritimis Calabriae orientalis; *Capo della Trinità presso Melito.*

Aprili, Majo. ♃

*

AGROSTIS *PALLIDA. Dec.*

A. paniculae ramis subtrichotomis hispidulis, calycibus acuminato-aristatis carina hispidis, corollina gluma majore apice biaristata, arista dorsali supra basim geniculata e medio glumae prodeunte calycibus duplo longiore, foliis planis, ligula exserta bifida, radice fibrosa annua. *Dec. fl. fr. supp. p. 251. Ten. fl. nap. 3. p. 52.*

Ic. *nostra t. 5. f. 1.*

In humidis sterilibus, et ad torrentium margines in Calabria, *Oppido, Reggio;* in Japygia, *Brindisi, Lecce.*

Majo, Junio. ⊙

Culmi glabri, leves, basi geniculati vel decumbentes, geniculis inferioribus approximatis, coloratis. *Folia* capillaria, plana, inde convoluta, glabra, utrinque striata, leviuscula, ad oras hinc inde pilosa, superiora breviora, latiora. *Vaginae* striatae, glabrae, leves. *Ligula* scariosa, albida, ovato-lanceolata, 1. lin. longa, bifida, laciniis subtruncatis denticulato-laceris. *Panicula* erecta ante et post anthesim subcontracta, sub anthesi patens, pedicellis asperis. *Spiculae* leves, glabrae. *Glumae* calycinae corollinis duplo longiores, nunc omnino pallide flavescentes, nunc e viridi et purpurascente variae.

Habitus *Airae articulatae.* Inter *Aperas* immerito a *R. S. s. veg. 2. p. 370* relata, nam characteres generici potius *Trichodii*, et inter ista haec species

T. rupestri proxima; sed habitu, foliis, radice, loco natali, ec. omnino diversa.

AIRA *ARTICULATA. Desf.*

A. panicula patente post anthesim subcontracta, flosculis calyce minoribus, arista apice clavata medio nodosa calycem aequante, foliis radicalibus setaceis, caulinis planis ($\frac{1}{2}$ lin. latis) demum involuto filiformibus, radice fibrosa annua. *Desf. atl. 1. p. 70. Pers. syn. 1. p. 77. Poir. dict. enc. supp. 2. p. 75. Ten. fl. nap. 3. p. 55.*

Corynephorus articulatus. *R.S. s. veg. 2. p. 689.*

Ic. *Desf. l. c. t. 13.*

In arenosis maritimis Calabriae orientalis, Lucaniae, Japygiae, Peucetiae, Dauniae.

Aprili, Majo. ⊙

Folia glaucescentia, inferiora setacea, involuta, superiora plana, latiora, retrorsum scabra, superne striata, subtus levia. *Vaginae* striatae, superne fissae, suprema spathaeformi. *Ligula* scariosa, elongata, ovato-lanceolata, apice acuta, integra vel obtuse laciniata aut denticulata, 2-4. lin. longa. *Arista* calyce brevior, a medio ad apicem virescens, a medio ad basim fusca.

Cum *A. canescenti*, cui summopere affinis, male a Cl. *Spr. in s. veg. 1. p. 279.* conjuncta. Distinguitur radice annua, foliis non omnibus setaceis, arista insignius clavata, flosculo altero longius pedicellato, pa-

nicula semper plus minusque patente, nunquam spiciformi ac coarctata, pedunculis valde elongatis.

PHALARIS *COERULESCENS. Desf.*

P. panicula spiciformi laxiuscula cylindraceo-oblonga, glumis calycinis coloratis subaristatis carinatis, carina sursum membranaceo-alata, ala dentata cum apice continua, corolla bivalvi glabriuscula, radice bulbosa. *Desf. atl. 1. p. 56. R. S. s. veg. 1. p. 404. Spr. s. veg. 1. p. 273.*

P. aquatica. *Seb. et Maur. fl. rom. pr. p. 31.* (non *Lin.*) exclus. syn. praeter illa *Barr.* et *Buxb.!*

P. aquatica. *Bertol. amoen it. p. 108. in observ.!*

P. variegata. *Spreng. neve entd. 2. p. 101!*

P. aquatica. *Ten. fl. nap. 1. p. 18.* exclus. syn. *Barr. et Buxb.*

Ic. P. bulbosa. *Cav. ic. 1. tab. 64?*

Gramen tiphynum phalaroides majus bulbosum aquaticum. *Barr. obs. 1200. t. 700. f. 1!*

Gramen phalaroides hirsutum spica longissima. *Buxb. cent. 4. t. 53!*

In campis argillosis Calabriae orientalis, ac Lucaniae.

Aprili, Majo. 2ℓ

De synonymis *Bertolonii* et *Fl. rom.* inspectione specimina certus sum. Ex elegantissima icone *P. aquaticae*, *Sibth. fl. gr. t. 57.* comperi, *P. coerulescentem* ab *aquatica, Lin.* satis superque differre, nam in

hac calyces non colorati, mutici, carina alata integra, corollae trivalves sericeo villosae, et panicula valde elongata. Tandem *P. bulbosa, Cav. l. c.* sub *P. nodosa* a Cl. *Smith.* in *fl. gr. 1. p. 41.* relata, potius *P. coerulescenti* mihi convenire videtur ob glumas dentatas, et corollas bi-non-tri valves.

PHALARIS *NODOSA. Lin.*

P. panicula spiciformi lanceolata, calycinis glumis concoloribus acutis carinatis, carina vix membranaceo-alata, ala integra cum apice continua, corolla trivalvi villosa, gluma exteriori lineari angustissima, culmis basi bulbosis. *Lin. syst. veg. ed. 13. 88. Will. sp. pl. 1. p. 527. Sibth. fl. gr. 1. p. 41.* exclus. syn. *Cav.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 56.*

In campis argillosis cum praecedente.

Majo, Junio. ♃

PHALARIS *MINOR. Retz.*

P. panicula spiciformi ovato-oblonga, calycinis glumis acuminatis sursum vix membranaceo-alatis, ala denticulata cum apice subcontinua, corolla trivalvi villosa, gluma exteriori lineari angustissima, radice fibrosa annua.

P. aquatica. *Will. sp. pl. 1. p. 326. Schrad. fl. germ. 1. p. 179.* exclus. syn., praeter *Host.; Dec. fl. fr. sup. p. 249.*

Ic. P. aquatica. *Host. gram. austr. 2. t. 39.*

In campis et arvis argillosis Calabriae orientalis; *Melito, Cotrone.*

Aprili, Majo. ⊙!

CRYPSIS *ALOPECUROIDES. Schrad.*

C. panicula spicata cylindracea nuda, floribus triandris, culmis subcompressis ramosis procumbentibus. *Schrad. fl. germ. 1. p. 167. Savi. bot. etr. 1. p. 40. R. S. s. veg. 2. p. 375. Spr. s. veg. 1. p. 264. Ten. fl. nap. 3. p. 62.*

Heleocloa alopecuroides. *Host. gram. austr. 1. p. 23.*

Phalaris geniculata, spica cylindracea glumis elliptico-lanceolatis dentato-ciliatis, culmis diffusis ramosis geniculatis. *Smith. fl. gr. pr. 1. p. 38.*

Ic. *Host. l. c. t. 29.*

Gramen aquaticum tiphynum supinum italicum minus. *Barr. ic. 54.*

In inundatis montosis Samnii; *Monte di mezzo;* Aprutii, *Piano di cinque miglia, lago di Fucino.*

Julio, Augusto. ⊙

Synonym. *Barr. l. c.* sine dubio ad hanc speciem spectat, ut certiorem me fecerunt specimina hujus stirpis prope Romam lecta eodem loco a *Barreliero* notato, ideoque *Phalaris geniculata*, sub qua a Cl. *Smith.* haec icon. *Barrelieri* citatur, est eadem species, ut ex *Diar. gott. 1816. n. 172*, et minime sub *C. schoenoidi* amandanda, uti facit Cl. *Spr. l. c.* Ob-

starent glumae quae fere semper solummodo ciliatae sunt, at aliquando etiam dentato-ciliatae occurrunt. Confer *R. S.* ac *Spr. l. c.*

CRYPSIS *SCHOENOIDES. Lam.*

C. paniculis subspicatis oblongis ovatisve basi vaginatis, floribus triandris, culmis ramosis compressis diffusis. *Lam. ill. gen. n. 855. Schrad. fl. germ. 1. p. 168. R. S. s. veg. 2. p. 375. Spr. s. veg. 1. p. 264* (exclus. syn. *Smithii*) *Pers. syn. 1. p. 79. Savi bot. etr. 1. p. 41. Ten. fl. nap. 3. p. 62.*

Heleocloa schoenoides. *Host. gram. austr. 1. p. 23.*

Ic. *Jacq. ic. rar. 7. t. 15. Cav. ic. rar. 1. t. 52. f. V. Lam. ill. gen. t. 49. f. 1.* (mala) *Host. l. c. tab. 30.*

In inundatis argillosis maritimis Jonii, et Adriatici, in campis Samnii, ac Aprutii.

Julio, Augusto. ⊙

Species sequenti affinis, a qua distinguitur paniculis oblongis, non globosis, cujus latitudo longitudinem superat; intra dilatatam basim foliorum proxime insidentibus et fere occultatis, non liberis et saepius a folio remotis; glumis calycinis et corollinis angustioribus, staminibus tribus; sed directio foliorum variabilis.

CRYPSIS *ACULEATA. Ait.*

C. paniculis subspicatis hemisphaericis involucro foliaceo cinctis, floribus diandris. *Schrad. fl. germ. 1.*

p. 168. Ait. H. Kew. 1. p. 48. Lam. ill. gen. n. 856. Will. sp. pl. 1. p. 158. R. S. s. veg. 2. p. 376. Pers. syn. 1. p. 79. Spr. s. veg. 1. p. 264. Savi bot. etr. 1. p. 41. Ten. fl. nap. 3. p. 63.

Phleum schoenoides. *Jacq. austr. app. p. 29.*

Ic. *Host. gram. austr. 1. t. 31. Jacq. l. c. t. 7. Cav. ic. 1. t. 52*, sed in icone flores triandri, non diandri.

In inundatis maritimis argillosis Jonii et Adriatici.

Julio, Septembri. ⊙ non ♃, ut ex *Desf.*

Pili albicantes ad internam foliorum basim apud nos adsunt, quos in suis speciminibus non observasse notat *Cav. l. c.*

PHLEUM *ARENARIUM*. *Lin.*

P. panicula spicata oblongo-lanceolata, glumis calycinis lanceolatis acutis carina ciliatis, culmis basi sub ramosis adscendentibus. *Lin. sp. pl. 88. Lam. dict. enc. 2. p. 505. Schrad. fl. germ. 1. p. 189. Pers. syn. 1. p. 79. Spr. s. veg. 1. p. 242.*

Phalaris arenaria. *Will. sp. pl. 1. p. 328. Ten. fl. nap. 3. p. 60.*

Chilochloa arenaria. *R. S. s. veg. 2. p. 405.*

Ic. *Fl. dan. t. 915.*

Gramen tiphynum maritimum minus. *Pluk. Phyt. t. 33. f. 8.*

In arenosis maritimis Calabriae orientalis, Lucaniae, Japygiae.

Aprili Majo. ⊙

Culmi erecti vel adscendentes, basi ramosi vel simplices, longe exserti, glabri, leves, palmares vel semipedales. *Folia* radicalia approximata, plana; superne striata, levia, glabra; inferne nervo unico prominulo subcarinata, apice acuta et fere cartilaginea, margine undulato-crispa ac scabriuscula, 2-3 lin. lata, pollicem longa. *Vaginae* inferiores membranaceo-scariosae, albidae, nervosae, laxae; superiores elongatae, clausae, subventricosae, virides. *Ligula* oblonga, integra, apice rotundata, $\frac{1}{2}$-1 lin. longa. *Panicula* spicata, utrinque obtusiuscula, 1-1 $\frac{1}{2}$ pollicem longa. *Glumae* calycinae sub lente vix pubescentes, acuminato-aristatae, nervo prominulo utrinque notatae, margine scariosae et aliquando ciliatae, carinatae; carina a medio ad apicem pilis patentibus ciliata.

Habitu, culmo elatiore, foliis latioribus, panicula utrinque obtusiuscula, glumarumque ciliis rarioribus ab icone citata *Fl. dan.* nonnihil diversum: at icon *Pluknetii* quamvis parva, tamen foliis latis, et panicula obtusa nostram plantam exacte refert.

ALOPECURUS *AGRESTIS. Lin.*

A. culmo plerumque erecto superne scabriusculo, panicula subspicata cylindracea simplicissima acuta, glumis calycinis ultra medium connexis acutis nudiusculis. *Lin. sp. pl. 89. Will. sp. pl. 1. p. 357. Poir. dict. enc. 8. p. 773. Pers. syn. 1. p. 80. R. S. s. veg. 2. p. 272. Spr. s. veg. 1. p. 240.*

*

Ic. *Host. gram. austr. 3. t. 12. Fl. dan. t. 697.*

Gramen tiphynum plantaginis spica, aristis geniculatis. *Barr. ic. 699. f. 2.*

In inundatis et ad rivulos Calabriae orientalis, ac Lucaniae.

Aprili, Majo. ⊙

ALOPECURUS *BULBOSUS. Lin.*

A. culmo erecto, spica simplicissima attenuata, glumis calycinis distinctis villosis, radice bulbosa. *Lin. sp. pl. 1665. Will. sp. pl. 1. p. 356. Lam. dict. enc. 1. p. 775. Pers. syn. 1. p. 79. R. S. s. veg. 2. p. 268. Spr. s. veg. 1. p. 240.*

Ic. Gramen tiphynum phalaroides, pilosa spica, aquaticum, bulbosum. *Barr. ic. 699. f. 1.*

In udis Calabriae Orientalis, *Cotrone, Cassano;* Lucaniae, *Policoro;* Japygiae, *Taranto.*

Aprili, Majo. ♃

POLYPOGON *MARITIMUM. Will.*

P. panicula coarctata oblonga, glumis calycinis pubescentibus margine ciliatis apice dilatatis membranaceo-scariosis bifidis, arista e fundo fissurae orta. *Will. nov. act. nat. cur. v. 3. p. 443. Per. syn. 1. p. 80. Poir. dict. enc. 8. p. 779. R. S. s. veg. 2. p. 326. Spr. s. veg. 1. p. 242.*

Ic. *nostra t. 5. f. 2.*

In udis maritimis Calabriae orientalis, Lucaniae,

Japygiae, Peucetiae, Apuliae cum *P. monspeliense*, simulque florent.

Aprili, Majo. ⊙

Culmi erecti vel genu procumbentes, glabri, ad nodos purpurascentes. *Folia* plana, utrinque striata, glabriuscula. *Vaginae* striatae, leves, inferiores laxae breves, superiores elongatae subinflatae. *Ligula* oblonga, truncata, lacera, scariosa, lineam longa. *Panicula* pollicaris. *Glumae* molliter pubescentes, arista sua triplo vel quadruplo breviores.

P. monspeliense differt ab hoc, glumis calycinis pubescenti-scabris, margine glabris ac sub apice integro non dilatato aristatis.

PANICUM *ERUCIFORME*. *Sibth.*

P. spicis alternis sessilibus secundis pilosis, valvula calycina tertia exigua acutiuscula, culmo-ramoso. *Smith. fl. gr. pr. 1. p. 40. Sibth. fl. gr. 1. p. 44. R. S. s. veg. 2. p. 426. Spr. s. veg. 1. p. 309* (sed errato nomine *P. cruciforme*).

Ic. *Smith. l. c. t. 59.*

In arvis argillosis requietis vel cultis Aprutii post messem; *S. Valentino, Civita di Penne, Teramo, Chieti.*

Septembri, Octobri. ⊙

Species pulchra; habitus herbae *P. sanguinalis*, inflorescentiae vero *Paspalis* similis. *Radix* certe annua non perennis, ut Cl. *Smith* suspicatur; caeterum descriptio *Fl. gr.* optima.

Lappago *racemosa*. *Will. sp. pl. 1. p. 484. Spr. s. v. 1. p. 265.*

Cenchrus racemosus. *Lin. sp. pl. 1487.*

Tragus racemosus *R. S. s. veg. 2. p. 378.*

Ic. *Host. gram. austr. 1. t. 36. Sibth. fl. gr. t. 101.*

Gramen caninum maritimum spicatum, echinatis glumis. *Barr. ic. 718.*

In arenosis herbidis et lapidosis maritimis Apuliae, *Barletta, Manfredonia;* Aprutii, *Giulianova.*

Augusto, Septembri. ⊙

Dactylis *littoralis*. *Will.*

D. panicula spicata interrupta, spiculis alternis compressis glaberrimis, calycibus spicula duplo brevioribus, foliis distichis rigidis, stolonibus diffusis repentibus. *Will. sp. pl. 1. p. 408. Bertol. am. it. p. 238.* cum omnibus synonymis.

D. distichophylla. *Brignoli fasc. pl. forojul. p. 16.*

D. maritima, *Schrad. fl. germ. 1. p. 313.*

D. littoralis et maritima. *R. S. s. veg. 2. p. 627,* et *628.*

Calotecha littoralis. *Spr. s. veg. 1. p. 347.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 80.* optima. *Schrad l. c. t. VI. f. 1.* mala. *Host. gr. austr. 4. t. 28.* optima. *Lam. ill. gen. t. 45.* mala.

Gramen caninum maritimum spicatum. *Moris hist. 3. s. 8. t. 2. f. 7.* mala.

In inundatis et udis herbidis maritimis inter *Jun-*

cos, in Calabria orientali, Lucania, Japygia, Apulia.

Majo, Junio. 2f

Lusus omnes hujus stirpis, quos se observasse monet Cl. *Bertol. l. c.* etiam apud nos obvii; ideoque *D. maritima Schrad*, et *D. littoralis Will.* non disjungendae sunt.

POA *DURA. Scop.*

P. panicula secunda lata coarctata rigida, spiculis lineari-lanceolatis obtusis 3-5- floris, flosculis liberis 7-nerviis, radice fibrosa. *Scop. carn. ed. 2. p. 70. Schrad. fl. germ. 1. p. 284. Spr. s. veg. 1. p. 346. Ten. fl. nap. 3. p. 75.*

Cynosurus durus. *Will. sp. pl. 1. p. 413.*

Sclerochloa dura. *R. S. s. veg. 2. p. 698.*

Ic. *Host. gram. austr. 2. t. 73.*

Gramen arvense Polypodii panicula crassiore. *Barr. ic. 50.*

In argillosis maritimis inundatis Calabriae orientalis, *Catanzaro*, *Cotrone*, *Corigliano*, *Cassano*; Lucaniae, *Policoro*; Apuliae *Foggia*, *Barletta*; Japygiae, *Brindisi*, *Otranto*.

Aprili, Majo. ⊙

POA *DISTANS. Lin.*

P. panicula aequali divaricata, ramis inferioribus geminatis, fructiferis deflexis, spiculis linearibus

subquinquefloris, flosculis obtusis liberis obsolete quinquenerviis, radice fibrosa. *Lin. mant. 32. Will. sp. pl. 1. p. 401. Pers. syn. 1. p. 88. Poir. dict. enc. 5. p. 77. R. S. s. veg. 2. p. 544. Spr. s. veg. 1. p. 339.*

Ic. *Host. gram. austr. 2. t. 63.*

In argillosis, salsis et inundatis maritimis Calabriae orientalis, *Cotrone, S. Leonardo, Cassano;* Lucaniae, *Policoro, Torre a mare;* Japygiae, *Brindisi, Otranto, Pulzano, Taranto.*

Aprili, Majo. ⊙

Planta, quae apud nos provenit, si comparatur cum icone *Hostii*, et cum speciminibus Germanicis, est omnibus partibus major et robustior. *Culmi* saepius 1-2-pedales. *Folia* rigidiora, leviuscula, magisque glaucescentia. *Ligula* fere semper acuta. *Panicula* aliquando semipedalis, spiculis 5-10-floris, in quibusdam omnino virentibus, et quam in icone *Hostii* longioribus.

Poa *divaricata. Gou.*

P. paniculae ramis divaricatis capillaribus geminatis, pedicellis subternis divaricatis superne incrassatis, spiculis 4-floris, flosculis obtusiusculis basi liberis. *Gou. ill. p. 4. Will. sp. pl. 1. p. 402. Pers. syn. 1. p. 88. Poir. dict. enc. 5. p. 77. Spr. s. veg. 1. p. 339.*

Sclerochloa divaricata. *R. S. s. veg. 2. p. 697.*

Ic. *Gou. l. c. t. 2. f. 1.*

In inundatis, argillosis, maritimis Calabriae orien-

talis, *S. Leonardo, Cotrone, Cassano;* Lucaniae, *Policoro, Torre a Mare;* Japygiae, *Pulzano, Brindisi, Taranto.*

Aprili, Majo. ⊙

Poa *compressa. Lin.*

P. panicula subsecunda diffusa, spiculis ovato-oblongis 5-7-floris, flosculis basi villosis, culmo obliquo compresso, radice repente. *Lin. sp. pl. 101. Will. sp. pl. 1. p. 397. Pers. syn. 1. p. 90. Poir. dict. enc. 5. p. 83. R. S. s. veg. 2. p. 558. Spr. s. veg. 1. p. 341. Ten. fl. nap. 3. p. 74.*

Ic. *Host. gram. austr. 2. t. 70.*

Gramen paniculatum, radice repente, culmo compresso, locustis distichis pulchellis. *Vaill. bot. par. t. 18. f. 5.*

b. flosculis basi liberis.

In arvis lapidosis montosis Samnii, *Capracotta.*

Julio, Augusto. ♃

Festuca *halleri. Vill.*

F. spiculis 4-5-floris teretiusculis oblongis, rachi glabra, calycis gluma exteriore pubescente, panicula stricta, foliis setaceis. *Dec. fl. fr. 3. p. 53. Poir. dict. enc. supp. 2. p. 634. Gaud. agr. helv. 1. p. 235. Bertol. am. it. p. 331. R. S. s. veg. 2. p. 716. Ten. fl. nap. 3. p. 80.*

Ic. nulla.

a. glumis viridibus.

b. glumis violaceis, culmo elatiore. *Bertol. l. c.* in *obs.*

F. violacea. *Gaud. l. c. p. 231.*

Schoenodorus violaceus. *R. S. s. veg. 2. p. 704.*

In alpinis Aprutii usque ad nives; *Monte Corno, Majella.*

Julio, Augusto. 4

Variat etiam apud nos glumis levibus vel scabris, viridibus aut violaceis, rachide levi vel denticulata; sed statura humiliore, foliisque setaceis brevibus a *F. ovina*, cum qua a Cl. *Spr. in. s. veg. 1. p. 352* fuit conjuncta, distincta videtur.

FESTUCA *DIMORPHA. Nob.*

F. panicula subnutante contracta demum erecta, spiculis 3-4-floris, glumis calycinis ovato-lanceolatis margine membranaceis, corollinis difformibus, flosculorum inferiorum gluma exteriore acuta longiore, centralium truncata tridentata breviori, foliis junceis, radice dense caespitosa fibrosa.

Ic. *nostra t. 6.*

In asperis alpinis Aprutii, *Monte Corno, Monte Intermesole, Majella.*

Julio, Augusto. 4

Culmi teretes, striati, levissimi, stricti vel basi adscendentes, 1 ½ ad 2 ped. alti, in densum caespitem

congesti. *Folia* juncea, culmo breviora, ut plurimum involuta, fasciculorum sterilium et caulina superiora elongata, 1-1 ½ ped. longa; radicalia saepius latiora, breviora, plana, superne scabra ac profunde striata; omnia levia vel apicem versus scabriuscula, involuta et subpungentia. *Vaginae* levissimae, striatae, ad culmorum basim brevissimae, ovatae, squamaeformes, imbricatae, folii rudimentum gerentes, et culmum obtegentes. *Ligula* brevissima vix semilineari, semper truncata ac denticulato-ciliata. *Panicula* erecta vel apice nutans; pedicellis scabris, basi geminis, simplicibus vel ramosis, approximatis, sub anthesi semipatentibus. *Spiculae* oblongo-lanceolatae, glabrae. *Glumae calycinae* lanceolatae, margine membranaceae, glabrae, obsolete trinerviae; exteriore majore, acuminata, denticulata, vel apice lacera; interiore fere dimidio breviore, apice obtusiuscula, integra aut subbifida. *Glumae corollinae* pubescenti-scabrae; externa majori, 5-nervia, obtusa vel acuta, saepe ut gluma calycina externa apice denticulata, semper mutica, concava; interna plana, ad margines ciliata; at in extremo flosculo cuiusque spiculae, gluma corollina exterior truncata tridentata, interior longior apice denticulato-fimbriata. *Axis* spicularum glaber.

Habitus paniculae *F. vaginatae*, foliorum vero *Avenae sempervirentis*. Differt a *F. flavescente* ligula brevissima truncata, non elongata; flosculorum numero ac structura.

*

FESTUCA *POAEFORMIS. Host.*

F. panicula oblonga subaequali, ramis verticillatis approximatis, spiculis oblongis 3-5-floris, gluma altera corollina mutica vel brevissime aristata, foliis setaceis elongatis, radice fibrosa perenni. *Host. gram. austr. 2. p. 81. Spr. s. veg. 1. p. 354. Ten. fl. nap. 3. p. 81.*

Schoenodorus poaeformis. *R. S. s. veg. 2. p. 705.*

a. foliis vaginisque levibus, culmo longe exserto, glumis scabriusculis fere concoloribus, spiculis abbreviatis, sub 4-floris.

b. foliis vaginisque scaberrimis, culmo parum exserto, spicularum axi glabriusculo, glumis longius aristatis.

Ic. *Host. l. c. t. 81.*

In pascuis montosis et asperis elatioribus Aprutii. Var. *a. al Monte Morrone.* Var. *b. al Monte Costone.*

Junio, Julio. ♃

Varietas *a.* spicularum colore, figura et habitu a speciminibus Germanicis quodammodo recedit.

FESTUCA *DECUMBENS. Lin.*

F. panicula subsimplici contracta pauciflora, spiculis oblongo-ovatis 3-4-floris, calyce flosculos subaequante, vaginis foliisque pilosis, radice subrepente. *Lin. sp. pl. 110. Will. sp. pl. 1. p. 424. Pers. syn. 1. p. 94. Ten. fl. nap. 3. p. 82.*

Poa decumbens. *Schrad. fl. germ. 1. p. 305. Host. gram. austr. 2. p. 52.*

Danthonia decumbens. *Dec. fl. fr. 3. p. 33.*

Triodia decumbens. *R. S. s. veg. 2. p. 597. Spr. s. veg. 1. p. 320.*

Ic. *Host. l. c. t. 72. Fl. dan. t. 162.*

In pascuis inundatis submontosis Calabriae; *Bagnara al piano della Corona.*

Majo, Junio. 4

FESTUCA *SEROTINA. Lin.*

F. panicula pauciflora ramis patentibus, spiculis 2-5-floris subaristatis, foliis brevissimis patentibus, culmo adscendente vaginis foliorum tecto, radice fibrosa. *Lin. sp. pl. 111. Spr. s. veg. 1. p. 355.*

Agrostis serotina. *Lin. mant. 30. Will. sp. pl. 1. p. 365. Ten. fl. nap. pr. ap. 2. p. 65.*

Schoenodorus serotinus. *R. S. s. veg. 2. p. 702.*

Ic. *Host. gram. austr. 2. t. 92.*

In collibus lapidosis calcareis maritimis Aprutii; *Giulianova, Pescara.*

Augusto, Octobri. 4

FESTUCA *CILIATA. Dec.*

F. panicula secunda contracta subnutante elongata, flosculis linearibus subulatis aristatis, arista subaequalibus, gluma altera calycina margine basique

... vagina sublongioribus.
... *enc. supp. 2. p. 634.*
... *1. p. 418.*, et *3. p. 74.*

... *astr. 4. t. 65.*
... stucaceum, myurum, minori spica
... *Schreb. agr. t. 6. f. 12. Barr. ic. 99.*

... ibus aridis sterilibus maritimis Jonii, et

Aprili, Majo. ⊙!

Haec est certe *F. ciliata Dec., Poir., Hostii, Marsch. et Brot.*; ac *F. myurus, b. minor, Sebast. et Mauri fl. rom. pr. p. 46.* At *F. ciliata Link*, et *F. alopecuroides* ejusdem, *en. alt. H. Berol. 1. p. 92.* (quae ex ipsius sententia non discrepat a *F. alopecuro Schous.*) est species omnino distincta: nam *Poir. in dict. enc. supp. 2. p. 636.* spiculas lanceolatas, compressas, latas *F. alopecuro* tribuit, quae in *F. ciliata Dec.* lineares, angustae, vix compressae; et dum *Link l. c.* notat *F. ciliatam* ab *alopecuroide* non differre, tamen a *F. ciliata Hostii, Marschallii* aliorumque longe distare. Ideoque ex adnotatis characteribus *F. alopecurus Schous.* ac *Poir., F. ciliata Link*, et *Bromus barbatus Savii* ad eamdem speciem spectant, secus ac opinatur *Cl. Spr.* in suo *s. veg. 1. p. 353*, qui *F. ciliatam Dec.* cum *Bromo barbato Sav.* male conjungit. Confer *Fl. rom., pr. p. 58.* et *Ten. l. c.* Pariter certum est, *F. ciliatam* a

F. myuro omnino differre, nec hujus varietatem esse, sicut Cl. *Sebast.* et *Mauri l. c.* suspicantur.

FESTUCA *RIGIDA. Roth.*

F. spiculis alternis lineari-oblongis 8-12-floris, spiculae flosculis superioribus longe aristatis inferioribus muticis, foliis planis margine undulatis, culmo a basi ad apicem scabro. *Roth. catal. bot. 1. p. 12. Will. en. H. Ber. 1. p. 119. Poir. dict. enc. supp. 2. p. 640.*

Triticum asperum. *Dec. cat. H. Monsp. p. 153.*

Brachypodium asperum. *R. S. s. veg. 2. p. 742.*

Ic. *nostra t. 7.*

In collibus aridis Calabriae; da *Reggio al capo delle Armi.*

Aprili, Majo. ⊙

Culmi basi ramosi, genu uno aut altero procumbentes, ibique saepe radicantes, semipedales vel pedales, glabri, et tantummodo prope nodos pubescentes. *Folia* plana, superne striata ac pubescenti-scabra, subtus nervo unico prominulo levia, apice acuta, 2-3 lin. lata, 2-4 poll. longa, margine undulato-crispa. *Vaginae* scabriusculae, nervosae, puberulae. *Ligula* brevis, oblique truncato-lacera. *Spiculae* sessiles, lineari-lanceolatae, 3-5. *Calycis* glumae muticae, inaequales, scabrae; exterior obtusiuscula, major, 7-nervia; interior brevior, acuta, 5-nervia. *Corollae* gluma interior minor, apice retusa, plana, ad margines ciliata; gluma exterior 5-nervia, pube-

[illegible] in flosculis superioribus apice aristata [illegible] gluma longiore, sed in flosculis inferioribus mutica acuta.

[illegible] *sachvae* admodum affinis, sed indicatis [illegible] satis diversa.

[illegible] *Lin.*

β. panicula nutante secunda, spiculis lineari-lanceolatis compressis pubescentibus, flosculis demum remotiusculis, aristis rectis gluma brevioribus, foliis villosis scabris. *Lin. supp. 111. Will. sp. pl. 1. p. 432. Pers. syn. 1. p. 96. R. S. s. veg. 2. p. 643. Spr. s. veg. 1. p. 359. Ten. fl. nap. 3. p. 86.*

Ic. *Host. gram. austr. 1. t. 7. Fl. dan. t. 1382.*

Gramen avenaceum dumetorum, juba et longiore spica divisa. *Moris. hist. 3. s. 8. t. 7. f. 27.*

In sylvis et nemoribus Samnii ac Aprutii.

Julio, Augusto. ♂, 4

Duae varietates apud nos occurrunt. Una in sylvis Samnii caule nodisque glabris, spiculis crassioribus paucifloris, et ad istam spectat *B. asper* auctorum; altera, quae in sylvis Aprutii, culmo et nodis pubescentibus, spiculis magis elongatis ac multifloris, et haec ad B. *hirsutissimum Cyr.* pertinet. Confer *R. S. l. c.*, nec non *Link. en. alt. H. Berol. 1. p. 94.*

BROMUS *LANCEOLATUS. Roth.*

B. panicula lanceolata subracemosa erecta contractiuscula, spiculis longe pedunculatis 8-16-floris lanceolatis glabris solitariis, gluma corollarum exteriori apice bifida, aristis rectis maturescente semine divaricatis et subcontortis, foliis vaginisque pubescentibus. *Roth. catal. bot. 1. p. 19. Will. sp. pl. 1. p. 429*, et *en. H. Berol. 1. p. 120. Pers. syn. 1. p. 95. Poir. dict. enc. supp. 1. p. 704. R. S. s: veg. 2. p. 639. Spr. s. veg. 1. p. 358.*

Ic. *nostra t. 8.*

b. spiculis pubescentibus.

B. lanuginosus. *Poir. dict. enc. l. c. p. 703.*

B. divaricatus. *Loisl. not. p. 22. Dec. fl. fr. supp. p. 276. R. S. s. veg. 2. p. 639.*

B. cincinnatus. *Ten. fl. nap. 3. p. 83.*

Ic. *Ten. l. c. t. 104. f. 1.*

Gramen spica Brizae majus, minus aspera, ramosa, barbata. *Cup. panph. sic. 2. t. 231. Bon. t. 3. Raf. t. 69. f. 2.*

Inter segetes et in collibus Calabriae orientalis, Japygiae.

Aprili, Majo. ⊙

Culmi pedales, bipedales et ultra. *Folia* plana et vaginae pubescentes, vel glabriusculae. *Panicula* plus minus ramosa, spiculis semper solitariis pedunculatis, ut in *B. squarroso*, et in solo fertiliori apice aliquando sub anthesi nutans ob spicularum crassi-

[illegible] *Aristarum* directio pro aetate plantae admodum [illegible] in anthesi rectae, adpressae; post anthesim divaricatae: maturescente semine magis divaricatae ac basi saepius spiraliter contortae, ut in *B. contorto*.

B. Alopecurus, Vahl. symb. 2. p. 22., ac ejusdem *var. b. spiculis villosis*, ex ipsius descriptione certe *B. lanceolato* spectat; nam laudatus auctor notat» *pedunculi 4-6 ad singulum dentem pedunculi communis, simplicissimi, interdum bis vel ter divisi, pollicares vel ultra!, stricti. Spicula pollicaris et ultra... Satis affinis* B. squarroso, *aliquid tamen alienum ab illo habet; an varietas tantum?* »quae descriptio *B. contorto Desf., alopecuroidi Poir.* minime convenit, in quo pedunculi brevissimi, ut inferius patebit.

Gramen festucaceum majus, *Buxb. cent. 5. p. 19. t. 38. f. 1.*, quae icon sub *B. squarroso var. b., B. lanceolato*, et *B. volgensi* refertur, et alia ejusdem *app. n. 19.*, ex observatione Cl. *Marsch. fl. taur. caucas. 1. p. 72.*, et *3. p. 78.*, secunda ad *B. squarrosum* et prima ad *B. volgensem* certe pertinent. Et re vera *B. lanceolato* haud bene conveniunt, nam in icone *38. f. 1.* spiculae incrassatae et nimis breves, in altera *app. n. 19.* panicula apice nutans, quod in *B. lanceolato* rare occurrit.

BROMUS *CONTORTUS. Desf.*

B. panicula erecta confertissima, spiculis fasciculatis lineari-lanceolatis 12-15-floris subsessilibus, aristis post anthesim subdivaricatis inferne spiraliter contortis. *Desf. atl. 1. p. 95.*

B. alopecuroides. *Poir. it. 2. p. 100.* et *dict. enc. supp. 1. p. 703. R. S. s. veg. 2. p. 641.* exclus. syn. *Vahlii et Buxbaumii. Spr. s. veg. 1. p. 358.* exclus. syn. *Vahlii.*

B. alopecurus. *Pers. syn. 1. p. 95. Ten. fl. nap. 3. p. 84.*

Ic. *Desf. l. c. t. 25.* optima

Inter segetes Calabriae orientalis, Lucaniae, et Japygiae.

Aprili, Majo. ⊙

Culmi erecti vel adscendentes, glabri, 1-2 ½ ped. longi. *Vaginae* molliter pubescentes, pilis reflexis. *Ligula* scariosa, albida, 1-2-linearis, fimbriato-lacera. *Folia* pubescentia vel pilosa, superne striata. *Panicula* erecta, elongata, 2-3-pollicaris, conferta, spiculis fasciculatis axem obtegentibus. *Pedunculi* breves, 1-2-lineares, angulati, scabri, 1-5 ad singulum rachidis dentem, intermedio saepius elongato ramoso, spiculas subsessiles gerente. *Glumae* omnes plus minusque nervis et carina exasperatae; *calycinae* inaequales, 3-nerviae, acutae, carinatae; *corollina* exterior 7-nervia, concava, carinata, apice bifida ac membranacea,

aliquando villoso-pubescens, rare margine ciliata, ut ex descriptione *Desf.*; dorso aristata; arista gluma duplo longiore, scabra, sub anthesi recta, in fructu subdivaricata, basi contorta; gluma interior plana, albido-scariosa, enervia, margine ciliata, apice bidentata, denticulis acutis. *Rachis* spicularum articulata, articulis ensiformibus, compressis, scabris.

Haec species videtur fere varietas *B. scoparii Lin.*, qui est *B. humilis Cav. ic. rar. t. 589 f. 2.* ex *Smith. fl. gr. pr. p. 442*; sed aristae infractae et contortae, non rectae et patentes, ut in icone citata. Quamvis nomen specificum, Cl. *Poiretii* sit anterius; tamen ut ambiguitas absit, illo, Cl. *Desf.* uti malui. *B. alopecuroides Lag.* est *Koeleria phleoides.*

BROMUS *TECTORUM. Lin.*

B. panicula secunda apice nutante, ramis subdivisis scabris, spiculis pendulis 5-8-floris, flosculis demum remotiusculis, aristis rectis glumam subaequantibus, foliis vaginisque pilosis. *Lin. sp. pl. 114. Poir. dict. enc. supp. 1. p. 706. Pers. syn. 1. p. 96. R. S. s. veg. 2. p. 648. Spr. s. veg. 1. p. 357. Ten. fl. nap. pr. p. 88.*

a. spiculis glabris scabriusculis.

b. spiculis pubescentibus, foliis mollioribus, caule humiliore.

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 82. Host. gram. austr. 1. t. 15.*

In collibus aridis sterilibus (apud nos nunquam in tectis) Calabriae orientalis, Lucaniae, Japygiae ambae varietates occurrunt.

Aprili, Majo. ⊙

Bromus *maximus*. *Desf.*

B. panicula simplici erecto-patula subsecunda apice propendente laxiuscula, ramis inferioribus elongatis simplicibus, spiculis crassis erectiusculis dein flosculorum remotione compressis scaberrimis longissime aristatis, aristis rectis gluma triplo longioribus, foliis villosis. *Desf. atl. 1. p. 95. Poir. dict. enc. supp. 1. p. 705. R. S. s. veg. 1. p. 652. Ten. fl. nap. 3. p. 88.*

B. madritensis. *Vahl. symb. 2. p. 23.*, non *Lin.*

Ic. *Desf. l. c. t. 26.*

Ad sepes, et in collibus maritimis herbidis Jonii, ac Adriatici.

Aprili, Majo. ⊙

Recte monent *R. S.* et *Poir l. c.* hanc speciem cum *B. madritensi* non esse confundendam, ut fecit *Pers.* in *syn. 1. p. 96*, et nuperrime *Spr.* in *s. veg. 1. p. 358*; est etenim magis *B. sterili* quam *B. madritensi* affinis. Differt a *B. sterili* culmis tripedalibus et ultra, floribus diandris, panicula majore apice spicularum pondere propendente, spiculis crassioribus longissime aristatis; a *B. madritensi* panicula patula non contracta, spiculis inferioribus longissime pedunculatis.

Potius *B. rigidus Roth.* est *B. madritensi* magis proximus.

BROMUS *FASCICULATUS. Presl.*

B. panicula simplicissima in fructu obovato-cuneiformi, spiculis 4-7-floris compressis subsessilibus glabriusculis, aristis rectis apice divergentibus foliis glabris. *Presl. cyp. et gram. sic. p. 39.*

Ic. *nostra t. 8. f. 2.*

In collibus aridis Calabriae orientalis, Japygiae, Peucetiae.

Aprili, Majo. ⊙

Culmi erecti, simplicissimi, 2-3-nodes, glaberrimi, leves, palmares vel semipedales, ad nodos rubentes. *Folia* plana, superne striata margineque scabriuscula, subtus nervo unico prominulo levia, $\frac{1}{2}$-1 lin. lata, 1-1 $\frac{1}{2}$ poll. longa, apice attenuata, radicalia et caulina conformia. *Vaginae* striatae, pubescentes, superiores longiores. *Ligula* brevissima vel obliterata. *Panicula* pollicaris vel sesquipollicaris, ob aristas divaricatas in fructu vere cuneiformi. *Spiculae* lineares, solitariae vel 2-3 ad quemque racheos dentem, pedunculo $\frac{1}{2}$-1 lin. longo ancipiti scabriusculo instructae. *Calyx* glumis inaequalibus glabris; altera trinervia, lineari-lanceolata, carinata, acuta; altera lineari, fere dimidio angustiore et breviore. *Corollae* gluma exterior major, concava, carinata, trinervia, glabra, vel

adpresse pubescens, retrorsum scabriuscula, margine scariosa glabra levi, sub apice bifido setiformi aristata, arista longitudine glumae; gluma interior linearis, duplo angustior, apice bisetosa, trinervia, ad nervos ciliata.

Differt a *B. rubenti Lin.*, cum quo associatur a *Cl. Moretti* in *dec. 5. p. 4*, glumis omnibus linearibus angustis, margine non scariosis, aristis apice patulis, divergentibus.

An *B. scoparius*, *Lam. dict. enc. 1. p. 468.*, non *Lin.*, ad hanc speciem est referendus? Descriptio hujus auctoris cum icone *B. scoparii* quae extat, uti superius observavimus, in *Cav. ic. rar. t. 589. f. 2.* sub nomine *B. humilis* nullo modo convenit. Equidem *Lam.* notat » *panicula fasciculata, ovata vel* » *ovato-oblonga, apice instar scoparum dilatata...* » *aristae divaricatae aut divergentes, fere ut in* » *icone* Barr. t. 76. f. 1. *repraesentantur, quae ab* » *hac non differt, nisi spiculis pedunculatis* ». Quae descriptio potius nostram speciem, quam *B. scoparium* iconis Cavanillesii designat.

KOELERIA *HISPIDA. Dec.*

K. panicula spiciformi ovato-cilindracea abbreviata, spiculis 3-4-floris, flosculorum gluma corollina exteriore sub apice aristata, arista rigida glumis aequali, foliis pilosis, culmo glabro. *Dec. cat. H. Monsp. p. 119. R. S. s. veg. 2. p. 624. Spr. s. veg. 1. p. 332. Ten. fl. nap. 3. p. 94.*

Festuca hispida. *Savi l. c. p. 117.*

Cynosurus phleoides. *Desf. atl. 1. p. 82. Poir. dict. enc. supp. 2. p. 396.*

Ic. *Desf. l. c. t. 18. Savi l. c. t. 1. f. 5.*

In argillosis inundatis maritimis Calabriae orientalis, Lucaniae, Japygiae, Peucetiae.

Aprili, Majo. ⊙

Haec et *K. phleoides* variant foliis glumisque glabris, vel piloso-hispidis.

STIPA *PENNATA*. *Lin.*

S. aristis plumosis basi nudis longissimis, foliis rigidis glaucis canaliculato-setaceis. *Lin. sp. pl. 115. Will. sp. pl. 1. p. 440. Pers. syn. 1. p. 99. Poir. dict. enc. 7. p. 447. R. S. s. veg. 2. p. 331. Spr. s. veg. 1. p. 254. Ten. fl. nap. 3. p. 95.*

Ic. *Host. gram. austr. 4. t. 33.*

Gramen sparteum, pennatum, majus. *Barr. ic. 46.*

In collibus aridis calcareis Calabriae orientalis, Lucaniae, Japygiae.

Aprili, Majo. 2

STIPA *LAGASCAE*. *R. S.*

S. aristis longissimis brevissime pubescentibus, pedicellis glabris scabris, foliis rigidis convoluto-filiformibus. *R. S. s. veg. 2. p. 333.*

S. juncea *b. Desf. atl. 1. p. 98.*

Ic. *Desf. l. c. t. 28.*

In collibus aridis arenoso-calcareis Calabriae orientalis, *Amendolara;* et Japygiae, *Taranto, Gemini, Lecce,* una cum *S. tortili Desf.,* quae ibi magis obvia.

Aprili, Majo. ♃

STIPA *CAPILLATA. Lin.*

S. aristis nudis exasperatis demum varie curvatis, foliis rigidis convoluto-filiformibus. *Lin. sp. pl. 115. Will. sp. pl. 1. p. 441. Poir. dict. enc. 7. p. 449. Pers. syn. 1. p. 99. R. S. s. veg. 2. p. 333. Spr. s. veg. 1. p. 255. Ten. fl. nap. 3. p. 95.*

Ic. *Host. gram. austr. 3. t. 5.*

Festuca junceofolio. *Scheuch. agr. t. 3. f. 13. A.*

In aridissimis collibus calcareis Aprutii; *Popoli, Pacentro presso Solmona.*

Julio, Augusto. ♃

AVENA *VERSICOLOR. Lam.*

A. paniculato-racemosa, spiculis sub 5-floris, flosculis apice bidentato-sphacelatis basi brevissime barbatis calycem excedentibus, foliis glabriusculis, radice fibrosa perenni. *Lam. dict. enc. 1. p. 333. Will. sp. pl. 1. p. 452. Bertol. am. it. p. 332. Pers. syn. 1. p. 101. R. S. s. veg. 2. p. 675. Spr. s. veg. 2. p. 335.*

Ic. *Vill. delp. 2. p. 142. t. 4. f. 5.* A. Scheuchzeri. *Host. gram. austr. 2. t. 52.*

In pascuis elatioribus montium Aprutii; *Monte Corno, Majella, Morrone.*

Julio, Augusto. 4

AVENA *FALLAX. R. S.*

A. panicula aequali, spiculis oblongo-linearibus, flosculis calycem glaberrimum aequantibus, axe piloso, foliis rigidis elongatis, ligula brevissima truncata, radice fibrosa caespitosa perenni. *R. S. s. veg. 2. p. 672. Spr. s. veg. 1. p. 335. Ten. fl. nap. 3. p. 96.*

A. sampervirens. *Dec. fl. fr. 3. p. 55 ! Schrad. fl. germ. 1. p. 671 ?*

Ic. *nostra t. 9.*

b. locustis concoloribus pallidis. *A. sampervirens, Moret. dec. 7. p. 1 !*

A. convoluta, panicula aequali, locustis 3-floris, flosculis glumam aequantibus basi pilosis levibus, foliis rigidis omnibus convolutis, ligula brevissima truncata, radice fibrosa perenni. *Presl. cyp. et gram. sic. p. 31.*

In aridissimis collibus sylvaticis Calabriae, *Reggio.*

Aprili, Majo. 4

Radix fibrosa, plures culmos foliorumque fasciculos in densum tenacemque caespitem congestos sustinens. *Culmi* teretes, striati, glaberrimi, fistulosi,

ad nodos rubentes et aliquando incrassati, erecti vel basi tantum adscendentes, leves vel apice scabriusculi, 2-3-pedales. *Folia* linearia, juncea, culmo breviora; primum convoluta, inde plana, demum involuta, supra canaliculata, striata, retrorsum scabra, pallide virentia; subtus levia, lucide et intense virentia; apicem versus constricta, margine retrorsum scabriuscula praecipue prope basim, ibique saepe puberula, 1-1 ½ lin. lata, 1-1 ½ ped. longa; radicalia sive fasciculorum longiora angustiora. *Vaginae* striatae vel lineatae, glabrae, teretes, superne dehiscentes. *Ligula* nulla vel brevissima, truncata, membranacea, integra vel denticulata, ciliata. *Panicula* oblonga, ante anthesim contracta apice nutans et fere secunda, sub anthesi erecta ramis patentibus, demum erectiuscula, contracta, aequalis. *Rachis* flexuosa, inferne angulato-striata, retrorsum scabra. *Pedicelli* apice vix incrassati et subcompressi, retrorsum hispidulo-scabri, varie flexi, 2-4 ex eodem dente inferiore rachidis prodeuntes; superiores solitarii, simplices, brevissimi. *Spiculae* oblongo-lineares, subcompressae, concolores vel purpureo variegatae, flosculis omnibus aristatis, ultimo saepius sterili; in var. *b.* 3-4 florae. *Calyx* scariosus, albidus, levis, flosculis brevior vel aequalis, glumis inaequalibus; altera longiore, latiore, trinervia, carinata, apice nunc acuta nunc acuminata vel aristata, nunc dentato-laciniata, basi macula purpurascente notata; altera breviore, acuminata, vel breviter aristata, carinata,

*

enervia, concolore. *Corollae* gluma exterior latior ac longior, 5-7-nervia, concava, glabra (ciliata ad margines, *Schrad.*); apice albido-scariosa, bifida, laciniis lanceolatis brevibus; externe scabra purpurascente et dorso infra medium aristata; arista tortili (geniculata, *Schrad.*) glumis duplo longiore, scabriuscula, apicem versus albida, caeterum purpurascente; gluma interior alba, scariosa, apice dentato-bifida, marginibus intus inflexis, ad flexurae angulos inferne glabra, superne ciliata, rudimentum flosculi imperfecti gerens. *Squamae* duae (nectaria *Lin.*), lineam longae scariosae, albae, lineares, uno latere germen ob earumdem basim dilatatam amplectentes, interque hoc et glumam exteriorem insertae. *Antherae* bisulcatae, extra sanguineae. *Stigmata* plumosa. *Germen* hirsutum. *Axis* barbatus sive pilosus.

Differt ab *A. sempervirente*, *Host. gram. austr. 3. t. 41.*, et *Vill. delph. 2. p. 140. t. 5.*, panicula magis elongata, spiculis angustioribus, longioribus, teretioribus, calycibus glaberrimis, ligula brevissima. *A. sempervirenti*, *Schrad.* magis proxima, nisi forte varietas.

AVENA *VILLOSA*. *Bertol.*

A. foliis vaginisque glabris, culmo villoso, panicula stricta, calycibus bifloris, flosculis basi stipiteque barbatis, arista dorsali spiculis longiore. *Bertol. excerp. de re herb. p. 222. Ten. fl. nap. 3. p. 97.*

Ic. *nostra t. 10. f. 1.*

b. culmis glaberrimis.

In rupibus calcareis Aprutii; *Monte Intermesole*, *Monte Corno ad Arapietra*, ubi *Orsinius* primus invenit. Var. *b.* prope *Chiarino alla discesa della Portella delle Capezze verso Campiglione.*

Julio, Augusto. ♃

AVENA *CONDENSATA*. *Link.*

A. panicula pyramidata sub anthesi nitida patentissima, post anthesim contracta densa pallida, spiculis glabris 2-3-floris, valvula exteriori bicuspidata aristata, aristis dorsalibus rectiusculis, foliis planis vaginisque subpilosis. *Link. en. alt. H. Ber. 1. p. 82.*

A. sicula. *Spr. s. veg. 1. p. 335.*

H. Savii. ejusdem *pug. 1. p. 8.?*

Trisetum aureum. *Ten. fl. nap. 3. p. 100.*

Ic. *Ten. l. c. t. 107.*

Gramen panicula compacta, fulvo lucidula. *Cup. panph. sic. 2. t. 74.*

G. arundinis panicula composita, fulvo-lucidula. *Bon. t. 6.*

In arvis, ad vias, et collibus herbidis Calabriae orientalis, *Reggio*, *Cotrone*, *Catanzaro*; et Japygiae, *Pulzano*, *Taranto*, *Manduria*, *Leuca*, *Castro.*

Aprili, Majo. ☉

AVENA *NEGLECTA. Savi.*

A. panicula decomposita densa conferta sublanceolata, spiculis glabris 4-6-floris, corollina gluma exteriore bicuspidata aristata, arista dorsali recurvata, foliis planis pilosis mollibus. *Savi. fl. pis. 1. p. 132., et bot. etr. 1. p. 84.*

Trisetum neglectum. *R. S. s. veg. 2. p. 660. Ten. fl. nap. 3. p. 99.*

T. pisanum. *Pers. syn. 1. p. 97.*

Avena panicea. *Lam. ill. n. 117. Desf. atl. 1. p. 102.*

Ic. *Savi. fl. pis. t. 1. f. 4.*

In arenosis et herbidis maritimis Calabriae orientalis, *Catanzaro*, *Cotrone*, *Cirò*, *Cariati*; et Japygiae, *Gallipoli*, *Castro*, *Brindisi.*

Aprili, Majo. ⊙

Panicula spiciformis, elongata, ramis adpressis, sub anthesi vix patentibus, *Koeleriam phleoidem* exacte referens. *Calyx* glumis inaequalibus, altera longiore, latiore. *Corollae* gluma interior brevior, scariosa, plana, apice bifida, glabra; exterior dorso scabriuscula, apice integra, scariosa, albida, caeterum virescens, sub apice aristata; arista gluma longiore, retrorsum scabra, rectiuscula vel recurvata.

Immerito Cl. *Sprengel* sub *Holcho Savii in pug. 1. p. 8. n. 15. Savium* redarguit, quod spiculas quadrifloras huic gramini tribuat, dum ipse semper bifloras viderit. Apud nos semper 4-6-florae observantur, ideoque *Holchum Savii Spr.* ad praece-

dentem speciem potius spectare credidi, nam ab *A. neglecta* omnino differt, uti *Savius* ipse in *osser. sopra div. piante p. 13.*, *Link. in en. alt. H. Ber. 1. p. 82.* et *Bertol. in lucubr. de re herb. p. 7.* jam monuerunt; nec praeterea *Holchus Savii* in Cl. *Sprengelii s. veg.* invenitur.

AVENA *PUBERULA. Nob.*

A. panicula spiciformi coarctata aequali, spiculis 3-4-floris, flosculis omnibus sessilibus conformibus valvula calycina majori (sine aristis) aequalibus, corollae gluma exteriore bifida laciniis acuminatis sub apice aristata, arista setiformi recta, vaginis foliisque pubescentibus, culmo erecto, radice fibrosa annua.

Ic. *nostra t. 10. f. 2.*

In alveis arenosis exsiccatis torrentium Calabriae, *Reggio*; et Lucaniae, *fiume Basento.*

Aprili, Majo. ⊙

Culmi simplicissimi, plures ex eadem radice, erecti, quandoque infracti, geniculis inferioribus brevioribus; virides, ad nodos rubentes, pubescentes, superne levissimi, striati, palmares vel pedales. *Folia* pubescentia, basi ciliata, superne striata, subtus unilervia plana; inferiora angustiora ac saepius longiora, aetate convoluta, 1-2 pollices longa; superiora 1. lin. lata, margine scabriuscula, flaccida, pollicem

longa. *Vaginae* striatae, inferiores breviores, semivaginantes; superiores longiores culmumque ad paniculam fere involventes, minime ventricosae. *Ligula* brevissima, truncata, ciliato-lacera, vix $\frac{1}{6}$ lin. longa. *Panicula* aequalis, densa, spiciformis, elongata, 3-4 pollices longa, ramis plurimis ex eodem rachidis dente prodeuntibus, inaequalibus, iterum ramosis, teretibus, levibus vel scabriusculis, erectis, semper axi approximatis, vix sub anthesi remotiusculis. *Rachis* levis, subangulata, rectiuscula. *Spiculae* triflorae, oblongo-lineares, compressiusculae, pallide virentes. *Calyx* glumis inaequalibus; majore ovato-oblonga, concava, latiore, margine membranacea, carina scabriuscula, trinervia; apice acuta, 2- lin. longa; minor setacea, albida, acuta, $\frac{1}{2}$ lin. longa. *Corollae* gluma exterior latior, concava, carinata, carina scabriuscula, apice bifida, laciniis acutis, dorso aristata; arista scabra glumis breviore, nec contorta nec divaricata; gluma interior albida, linearis, plana, apice bifida, angustior et dimidio brevior, margine ciliata, caeterum glabra. *Axis* spicularum leviusculus, glaber.

Differt ab *A. micrantha*, *R. S. s. veg.* 2. *p.* 659. panicula aequali non subsecunda, flosculis omnibus sessilibus, *Festucarum* more dispositis, non duobus pedicellatis; arista dorsali recta, non recurvata; gluma corollina minori apice bifida, non tantum acuta; ligula brevissima lacera, non oblongo-lanceo-

lata. Habitus *A. flavescentis* et *A. parviflorae* similis, sed spicularum forma *Festucis* magis accedit, cum quibus indicatis characteribus conjungi nequit.

SACCHARUM *TENERIFFAE. Lin.*

S. panicula sub anthesi patentissima dein contracta, pedicellis glabris, calycibus subbifloris, flosculo altero masculo univalvi, altero hermaphrodito bivalvi, utroque sessili mutico, vaginarum fauce pilosa, foliis brevibus planis dein involutis, radice subrepente. *Lin. supp. 106. Pers. syn. 1. p. 102. Lam. dict. enc. 5, p. 598. Ten. fl. nap. 3. p. 50.*

Panicum Teneriffae. *Spr. s. veg. 1. p. 315.*

P. villosum. *Presl. cyp. et gram. sic. p. 18.*

Agrostis plumosa. *Ten. fl. nap. pr. supp. 3. p. 379.*

Ic. *Biv. stirp. rar. sic. man. 4. t. 1.* optima. *Sibth. fl. gr. t. 13*, haud perfecta quoad flores et paniculam.

In collibus aridis arenosis calcareisque maritimis Calabriae; *da Reggio a Capo di Bova.*

Floret per totam fere aestatem. ♃

Confer de hac specie *Morett. dec. pl. it. 4. p. 6.*

HORDEUM *PRATENSE. Smith.*

H. flosculis lateralibus masculis vel obliteratis breviter aristatis, intermedio fertili; glumis omnibus calycinis setaceis scabris, culmo longissime exserto,

radice perenni fibrosa. *Smith. fl. brit. 1. p. 156.* (descriptio optima). *Pers. syn. 1. p. 108? Ten. fl. nap. pr. p. 11.* (inde sub *H. maritimo* cum sequente citatum).

H. secalinum. *Host. gram. austr. 1. p. 26,* non *Pers.*

Ic. *Host. l. c. t. 33.*

In pascuis montosis Samnii; *Monte di Mezzo,* nunquam in maritimis, vel demissis.

Julio, Junio. ♃!

Radices fibrosae, apud nos raro bulbosae. *Culmi* 1-2 pedales, erecti, vel basi adscendentes. *Folia* radicalia saepius pubescentia. *Vaginae* aequales, nunquam ventricosae. *Ligula* brevissima, truncata, denticulata. *Spica* gracilis, 1-2-pollicaris, fragilis (per articulos dissiliens). *Flosculi* laterales quandoque neutri, fere semper obliterati, ita ut vix rudimentum flosculi distinguatur; sed una cum involucris glabri, non dorso hirsuti, ut ex *Roth.* et *Pers. l.c.* Reliqua ut in descriptione Cl. *Smithii* et *Hostii l.c.*

Habitus ac altitudo *H. bulbosi*, tamen spicae intense virentes, fragiles, breviores, graciliores, ec.

HORDEUM *SECALINUM. Pers.*

H. flosculis lateralibus neutris breviter aristatis dorso glabris, glumis calycinis omnibus setaceis scabris, culmo parum exserto, radice annua. *Pers. syn. 1. p. 108. Dec. fl. fr. 3. p. 94,* excl. syn. *H. pratensis* et *H. nodosi. Roth. germ. 2. p. 1. pag. 150.* ex duratione plantae. *Ten. fl. nap. pr. p. 59.*

Ic. *nostra t. 1.*

Gramen hordeaceum, minimum. *Barr. ic. 111.*

G. secalinum, minus, pratense. *Moris hist. 3. s. 8. t. 2. f. 6.*

G. spicatum, secalinum, minus. *Vaill. paris. t. 17. f. 6.* (synonyma omnia potius ad hanc speciem, quam ad praecedentem spectantia.)

In inundatis maritimis Calabriae orientalis, *da Melito a Cassano;* Lucaniae, *Policoro, Torre a Mare;* Japygiae, *Taranto, Gallipoli, Brindisi.*

Aprili, Majo. ⊙!

Culmi vix pedales.

Folia glabra vel pubescentia, plana, vix margine scabra; *vaginis* subaequalibus, pubescentibus. *Glumae* calycinae setaceae, scabrae, non ciliatae. *Flosculi* laterales scabri, breviter pedicellati, et brevius aristati. *Spicae* exsiccatae minus fragiles, quam in praecedente.

HORDEUM *MARITIMUM. Smith.*

H. flosculis lateralibus masculis breviter aristatis dorso glabris, glumis calycinis omnibus scabris, interna flosculorum lateralium semilanceolata reliquis setaceis. *R. S. s. veg. 2. p. 795,* cum synonimis *Spr. s. veg. 1. p. 269. Ten. fl. nap. 3. p. 106,* exclus. syn. *H. pratensis* et *H. secalini.*

Ic. *Host. gram. austr. 1. t. 34. Fl. dan. 1634. All. fl. ped. t. 31. f. 3,* mala.

*

Cum praecedente, simulque floret. ⊙

Radix semper annua non perennis, ut ex *Dec. fl. fr. 3. p. 94; caules* vix pedales ut in praecedente *folia* glabra, vel pubescentia, ut ex *Allion. fl. ped. n. 2274; flosculi* dorso glabri; *flos* intermedius sessilis, lateralibus breviter pedicellatis; ceterum descriptio *Allioni* optima.

TRITICUM *MARITIMUM*. *Lin.*

T. panicula ramosa, spiculis multifloris compressis divaricatis, flosculis mucronatis, culmo basi geniculato ramoso. *Lin. sp. pl. 128. Will. sp. pl. 1. p. 481. Lam. dict. enc. 2. p. 561. Pers. syn. 1. p. 110. Spr. s. veg. 1. p. 325. Cyr. pl. rar. f. 2. p. 2. Ten. fl. nap. pr. supp. 2. p. 11.*

Brachypodium maritimum. *R. S. s. veg. 2. p. 743.*

Ic. *Cyr. l. c. t. 2.*

Gramen maritimum, paniculis asperis, loliaceis. *Bocc. mus. t. 95*, mala.

In arenosis maritimis Calabriae orientalis, *Cotrone, Cassano;* Lucaniae *Policoro Torre a mare;* Japygiae, *Taranto, S. Cesarea, Gallipoli.*

Majo, Junio. ⊙ !

TRITICUM *LOLIACEUM*. *Smith.*

T. spica subsimplici compressa, spiculis ovatis unilateralibus, glumis calycinis trinerviis, flosculis

muticis, culmo basi ramoso *Smith. fl. brit. 1. p. 159. Will. sp. pl. 1. p. 483. Spr. s. veg. 1. p. 324.*

Poa loliacea. *Pers. syn. 1. p. 92.*

T. rotboella. *Poir. dict. enc. supp. 2. p. 676.*

Brachypodium loliaceum. *R. S. s. veg. 2. p. 746. n. 22,* non *n. 7. p. 740.*

Ic. Triticum unilaterale. *Host. gram. austr. 2. p. 21. t. 27. Viv. frag. fl. it. t. 23. f. 1,* excl. syn.

Gramen parvum, maritimum, spica loliacea. *Moris. hist. 3. s. 8. t. 2. f. 6.*

In herbidis, et lapidosis maritimis Calabriae, *Reggio, Melito, Trebisaccia;* Japygiae, *Gallipoli, Leuca, Otranto.*

Aprili, Majo. ⊙

CLASSIS IV.

TETRANDRIA-MONOGYNIA.

SCABIOSA *SYLVATICA. Lin.*

S. caule erecto hispido, foliis omnibus indivisis ovato-oblongis acuminatis villoso-hispidis, inferioribus serratis, corollulis radiantibus quadrifidis. *Lin. sp. pl. 192. Will. sp. pl. 1. p. 551. Pers. syn. 1. p. 120. Poir. dict. enc. 6. p. 708. Spr. s. veg. 1. p. 377. Ten. fl. nap. supp. 4. p. 5.*

Trichera sylvatica. *R. S. s. veg. 3. p. 55.*

Knautia arvensis, *d. sylvatica. Coult. mem. sur les Dipsac. p. 30.*

Ic. *Jacq. austr. t. 362.*

S. maxima dumetorum, folio non laciniato. *Bauh. hist. 3. p. 10.*

S. rubra, austriaca. *Lob. ic. 538.*

In sylvis umbrosis Aprutii; *Chiarino presso Aquila, nelle selve di S. Nicola sotto Monte Corno.*

Julio, Augusto. 2f

Variat admodum quoad pubescentiam, altitudinem, integritatem foliorum; quae saepius integra, raro superiora tantum dentata, at nunquam pinnatifida vel lyrata. *Calycis* communis foliola exteriora ovato-lanceolata, plana; interiora lanceolato-linearia, e basi ad medium canaliculata, angustiora et breviora. *Calyculus* brevissimus, denticulatus, 10-12-radiato; setis rigidis, patentibus, basi pilosis. *Semina* tetragono-compressa, hispida. *Receptaculum* pilosum, paleisque lineari-setaceis, raris interspersis instructum.

Cum *S. arvensi* haec species a *Coulter l. c.* male associatur; nam certis characteribus ab hac omnino distincta, nec unquam ab una ad alteram transitus apud nos mihi observare contigit.

SCABIOSA *SILENIFOLIA. Wald. et Kit.*

S. caule caespitoso humili basi ramoso, foliis lucidis glaberrimis basi ciliatis, radicalibus integerrimis lanceolatis acutis subcanaliculatis, caulinis pinnatifidis laciniis linearibus extima lanceolata, rameis integerrimis, corollulis quinquefidis radiantibus, seminum calyculo plicato extenso denticulato, pappo quinqueseto exserto. *Wald., et Kit. pl. rar. Hung. 2. p. 170. R. S. s. veg. 3. p. 63.*

Asterocephalus silenifolius. *Spr. s. veg. 1. p. 380.*

Ic. *Wald. et Kit. l. c. t. 157.*

Scabiosa alpina, globulariaefoliis. *Triumf. obs. p. 78. t. 9 ?*

In alpinis asperis montium Aprutii meridiem spectantibus; *Majella a Scrimacavallo*, simul cum *Saxifraga caesia*, *Seriola taraxacoidi*, *etc.*

Augusto, Septembri. ♄

Planta in nudis asperisque alpinis dense caespitans, laete virens, speciosa. *Caules* una cum pedunculis apud nos vix palmares vel semipedales. *Folia* coriacea, potius *Armeriae scorzoneraefoliae*, quam *Silenis* affinia; radicalia obovata, obtusa, cito pereuntia. *Calycis* et receptaculi foliola a medio ad apicem obscure purpurascentia. *Flores* amoene coerulei, odori. *Semina* sulcata, hispida.

Immerito Cl. *R. S.* corollulas quadrifidas huic speciei tribuunt; et haesitans *Triumfetti* synonymon sub hac retuli, nam quamvis laudati auctoris

descriptio, et locus natalis huic speciei satis superque convenientes sint, tamen icon recedit ob folia radicalia obtusissima, lyrata.

Scabiosa *columbaria. b. prolifera. Lin. sp. pl. 143.*

Ic. S. panormitana purpurea, folio profunde laciniato, umbellatim prolifera. *Cup. panph. sic. 2. t. 240. Bon. t. 44.*

In collibus aridis maritimis Japygiae, *Brindisi.* Majo, Junio. ♂

In hac varietate *caulis* humilior vix sesquipedalis, et *folia* tenuiora magisque canescentia, quam in specie.

Scabiosa *pilosa. R. S.*

S. foliis radicalibus caulinisque inferioribus pinnatifidis laciniis linearibus, summis linearibus indivisis, pedunculis longissimis cauleque pilosis, corollulis quinquefidis radiantibus crenatis calyce longioribus. *R. S. s. veg. 3. p. 80.*

Asterocephalus pilosus. *Lagas. nov. gen. et sp. diagn. p. 8. Spr. s. veg. 1. p. 383 ?* excl. syn. *Tenorii.*

Ic. *nostra t. 12.*

In collibus aridis calcareis Aprutii, *Aquila.* Junio, Julio. 2

Corollulae albido-coerulescentes. *Semina* basi hispido-lanata, superne excavata; *calyculo* extenso denticulato-aristato; *pappo* 5-seto, sessili. Habitus *S. argenteae* et *S. eburneae Fl. gr.*; differt *a S.*

argentea calycibus corolla duplo brevioribus, corollulis radiantibus crenatis: a *S. eburnea* praeter hos characteres, *stigmate* lineari nec clavato, *antheris* albidis non croceis.

SCABIOSA *ARGENTEA. Lin.*

S. foliis radicalibus caulinisque inferioribus pinnatifidis laciniis linearibus acutis, summis linearibus indivisis, pedunculis longissimis cauleque superne glabriusculis, corollulis quinquefidis radiantibus integerrimis (vel obsolete crenatis) calyce aequalibus (vel brevioribus). *Lin. syst. veg. 145. Will. sp. pl. 1. p. 555. Pers. syn. 1. p. 121. R. S. s. veg. 3. p. 79*, excluso synonymo *Desf. coroll. Tour? Sibth. fl. gr. 2. p. 9. Ten. fl. nap. pr. p. 12.*

Asterocephalus argenteus. *Spr. s. veg. 1. p. 382.* exclusis synonymis.

Ic. *Sibth. l. c. t. 108.*

In arenosis maritimis Calabriae orientalis, *Cirò Cassano;* Japygiae, *Taranto.*

Majo, Junio. ♃

Haesitans hanc speciem pro vera *S. argentea Lin.* hic recenseo. *Folia* in nostra laciniis linearibus omnibus aequalibus, non extima majore, ut in icone *Desf. Cor. Tour. t. 39.* Etiam ab icone citata *Fl. gr.* nonnihil recedit, et potius *S. eburneae* similis, a qua tamen differt corollulis integerrimis non fimbriatis. A praecedente calycibus corollae aequalibus vel longioribus, et corollulis integris abunde diversa.

SCABIOSA *BRACHIATA. Sibth.*

S. foliis obovato-oblongis integris lyratisque, corollulis quinquefidis radiantibus crenatis, seminum calyculo membranaceo extenso subtus pertuso. *Sibth. fl. gr. 2. p. 2. Smith. fl. gr. pr. 1. p. 83. R. S. s. veg. 3. p. 69.*

Knautia palaestina. *Lin. mant. 197. Will. sp. pl. 1. p. 562. Lam. dict. enc. 3. p. 368. Pers. syn. 1. p. 122.*

Pterocephalus brachiatus. *Spr. s. veg. 1. p. 384.*

P. palaestinus. *Coult. l. c. p. 31.*

Ic. *Sibth. l. c. t. 109. Coult. l. c. t. 1. f. 14.*

In aridissimis collibus calcareis Calabriae orientalis, *Cassano*, *Europoli*, *Amendolara.*

Aprili, Majo. ⊙

Caulis erectus, $\frac{1}{2}$ - 1 pedalis (1 $\frac{1}{2}$ in planta culta), pilis inferne patentibus superne adpressis subhispidus, simplex vel ramosus, brachiatus. *Folia* integra, aliquando basi pinnatifido-lyrata, obtusa, superiora saepe mucronata, molliter pubescenti-pilosa ac ciliata. *Calycis* communis foliola lanceolata, integra, trinervia, acuta, aristulata, basi concava, corollulis breviora, in anthesi erecta, inde patenti-reflexa, albida, a medio ad apicem virescentia *Corollulae* exteriores 5-fidae, radiantes, suberectae, laciniis crenato-serratis!, purpurascentibus; interiores infundibuliformes, externe pubescentes, albidae, aristas pappi subaequantes, quinquefidae, laciniis subae-

qualibus. *Semina* pubescentia, 10-angulata (10-costata), angulis apice foveolis interstinctis; *calyculo* scarioso, plicato, denticulato, glabro, extenso, subtus pertuso; *pappo* pedicellato, exserto, 10-radiato; radii aristis horizontaliter patentibus, planis, pectinato-ciliatis. *Receptaculum* conicum, abbreviatum, hirsutum ac paleaceum; paleis albidis, lineari-spathulatis, carinatis, acutis, externe apicem versus hirsutis, interne glabris, apice ciliatis.

Scabiosa *cretica*. *Lin.*

S. caule fruticoso, foliis lanceolatis sericeis integerrimis, corollulis quinquefidis radiantibus, calyculo scarioso plicato extenso margine denticulato, pappo 5-setoso sessili incluso. *Lin. sp. pl. 145. Will. sp. pl. 1. p. 557. Pers. syn. 1. p. 121. R. S. s. veg. 3. p. 85. Coult. l. c. p. 33. Ten. fl. nap. pr. supp. 3. p. 379.*

Asterocephalus creticus. *Spr. s. veg. 1. p. 380.*

Ic. *Coult. l. c. t. 2. n. 2.*

S. fruticosa folio non dissecto, peregrina. *Bauh. hist. 3. p. 11*, mediocris.

In rupibus calcareis maritimis Calabriae, *da Capo dell' Armi a Capo di Bova.*

Aprili, Majo. ♄

CRUCIANELLA *LATIFOLIA*. *Lin.*

C. foliis scabris mucronatis inferioribus quaternis ellipticis, superioribus senis lineari-lanceolatis, bracteis tribus valde inaequalibus, exteriori unica ovata scariosa ciliata, duabus interioribus linearisetaceis, floribus inter bracteas solitariis. *Lin. sp. pl. 158. Will. sp. pl. 1. p. 601. Pers. syn. 1. p. 129. Lam. dict. enc. 2. p. 216. R. S. s. veg. 3. p. 286. Spr. s. veg. 1. p. 398.* excl. syn. *C. monspeliacae.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 139.*

Rubia minor, spicata. *Barr. ic. 520*, et

R. spicata, latifolia, *ic. 549.*

In collibus aridis Calabriae orientalis; *Reggio, Capo dell' Armi, Capo della Trinità presso Melito, Corigliano, Cassano, Trebisacce, Amendolara.*

Aprili, Majo. ⊙

Caules tetragoni, palmares vel 1 - 1 ½ pedales. *Folia* margine praesertim scabra, glabriuscula, inferiora quaterna, rare quina, 2-3 lin. lata, brevia, caulina semper sena, elongata, angusta, vix lin. lata. *Bractea* cujusque floris exterior, ovata, acuta, concava glabra cum opposita connata et vaginans: duae, interiores lineares, carinatae, carina virescentes, acutae, integrae, marginibus et carina ciliatae, fere longitudine exterioris. *Corollae* pallide luteae, tubo bracteis exterioribus aequali, laciniis apice aristatis, incurvis.

C. angustifolia differt potissimum ab hac bra-

cteis inter se aequalibus; nam caulis directio ac latitudo foliorum characteres variabiles et nullius fere momenti suppeditant.

ERNODEA *MONTANA. Sibth.*

E. caule tereti pubescente fruticoso, foliis petiolatis oblongis obtusis, floribus fasciculatis terminalibus. *Smith. fl. gr. pr. 1. p. 98. Spr. s. veg. 1. p. 406.*

Asperula Calabrica. *Lin. supp. 20. Will. sp. pl. 1. p. 577. R. S. s. veg. 3. p. 272.*

Pavetta foetidissima. *Cyr. pl. rar. fasc. 1. p. 8. Ten. fl. nap. pr. p. 12.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 143. Cyr. l. c. t. 1.*

In arenosis exsiccatis torrentium alveis, et rupibus maritimis Calabriae orientalis, *Cassano, Trebisacce, Roseto, Francavilla, Amendolara, Monte Giordano.*

Majo, Junio. ♄

ASPERULA *NEGLECTA. Nob.*

A. foliis quaternis hirtis acutis internodio longioribus, floribus terminalibus fasciculatis, seminibus globosis hispidis.

Ic. *nostra t. 13. f. 1.*

In aridis alpinis montium Aprutii; *Monte Costone, Monte Intermesole presso Aquila.*

Julio, Augusto. ♃

Radix multicaulis, gracilis, vix pennae anserinae crassitie, fusca, hinc illinc excurrens, densosque caespites inter *Festucarum* glebas constituens. *Caules* plures, hirti, decumbentes vel adscendentes, tetragoni, 3-4 pollices longi. *Folia* virescentia, conferta, marginibus subrevolutis, mutica, rigida, subfalcata vel recta, inferiora latiora breviora obtusa, superiora omnia aequalia. *Flores* sessiles, bracteis longiores. *Corolla* intus albida, extra pubescens rugosa et purpurascens, laciniis breviter aristatis, tubo ampliato vel subcampanulato, 1-lin. longo. *Bracteae* breves, ovatae, acuminatae, hirtae.

Affinis *A. littorali*, sed habitu, loco natali, aliisque characteribus diversa. Confer iconem *Fl. gr. t. 122.*

ASPERULA *NITENS. Nob.*

A. foliis quaternis aristatis internodio longioribus nitidis glaberrimis, floribus terminalibus fasciculatis, corollis aristatis, seminibus muricato-tuberculatis.

Ic. *nostra t. 13. f. 2.*

In aridis alpinis montium Aprutii; *Monte Costone, Campo aprico alle falde di Monte Corno.*

Julio, Augusto. ♃

Radix crassitie digiti, firma, lignosa. *Caules* plures, caespitosi, decumbentes, tetragoni, leves, glaberrimi, rigidi, 3-4- pollicares. *Folia* inferiora latiora, confertiora, superiora subaequalia, levia.

Flores et *habitus* omnino praecedentis, cujus forsan varietas, sed seminibus non hispidis; tubo corollae, filiformi, non subcampanulato, et foliis aristatis diversa.

PLANTAGO *MONTANA. Lam.*

P. scapotereti piloso, foliis lanceolatis 5-nervis glabriusculis subdentatis; spica nigricante ovata subglobosa nuda. *Lam. ill. gen. n. 1670. R. S. s. veg. 3. p. 117. Pers. syn. 1. p. 139. Poir. dict. enc. 5. p. 381. Spr. s. veg. 1. p. 434. Ten. fl. nap. pr. supp. 2. p. 66.*

Ic. *nostra t. 13. f. 3.*

In pascuis subalpinis Aprutii, *Monte Costone, Monte Corno, Majella.*

Julio, Augusto. 4

Folia glabra aut plus minusque pilosa, 2-3-lin. lata, sesquipollicem longa. *Scapi* teretes, non striati, glabri, vel pilosi, erecto-patentes. *Bracteae* margine scariosae, saepius obtusae, capsula fructifera breviores, concavae, carinatae, margine carina et apice praesertim ciliatae. *Calycis* foliola purpurascentia, apice obtusa, ciliata vel denticulata, ovata, scariosa, carinata, concava, basi fasciculo pilorum instructa, margine integra, bracteis breviora. *Capsula* turgida, disperma, operculo capsula ipsa majore. *Stylus* hirtus, elongatus.

PLANTAGO *ALBICANS. Lin.*

P. foliis lineari-lanceolatis, obliquis, subundulatis dense piloso-pubescentibus, scapotereti foliis longiore, spica cylindrica erecta basi interrupta, bracteis obtusissimis calyce aequalibus. *Lin. sp. pl. 165. Will. sp. pl. 1. p. 645. Pers. syn. 138. Poir. dict. enc. 5. p. 375. R. S. s. veg. 3. p. 124.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 145.*

Holosteum salmanticense, majus. *Clus. hist. 2. p. 110.*

a. foliis argenteis.

b. foliis albido-virentibus. *Poir. l. c.*

In collibus argillosis et arenosis maritimis Calabriae orientalis, *Cotrone*, *Amendolara*, *Monte Giordano;* Lucaniae, *Policoro*, *Torre a mare.* Varietas *a.* in arenosis Japygiae, *Taranto*, *S. Cesarea*, *Gallipoli.* Varietas *b.* in argillosis Calabriae, *Reggio*, *Melito.*

Aprili, Junio. ♃

Radix hinc illinc excurrens satisque tenax, nigricans. *Folia* lineari-lanceolata, patentia, integerrima, subopposita, amplexicaulia, acuta, canaliculata, saepius undulata, densa lanugine albido-sericea vel virescenti tecta; basi in petiolum amplexicaulem glabrum excurrentia, 3 lin. lata, 2 ½ - 3 poll. longa, 3-nervia. *Scapi* teretes, vix striati, adpresse pilosi et fere lanati, leves, adscendentes vel recti, 2-6 pollices longi. *Spica* ante anthesim con-

fertissima, post anthesim elongata, laxiuscula, basi interrupta. *Flores* suffulti *bractea* ovato-lanceolata, margine membranacea, scariosa, apice ciliata, concava, dorso carinata; carina crassiuscula, virescente. *Calyx* tetraphyllus, foliolis duobus exterioribus semiovatis, altero latere tantum scariosis, reliquis ovatis margine utrinque scariosis; omnibus carina virescentibus, et apicem versus ciliato-pilosis, concavis, obtusiusculis, bractea et corollae tubo subaequalibus. *Corollae* limbus patens, laciniis ovatis, glabris, acutis. *Stamina* exserta, filamentis purpurascentibus, antheris luteis, 6 lin. ultra corollam exporrectis. *Stylus* hirtus, subflexuosus, post anthesim elongatus. *Capsula* glabra. *Semina* nigra, oblonga, utrinque acuta.

P. albicans, *Cav. ic. 2. p. 21. t. 124.* sub *P. parvula* a *R. S.* citata, differt a nostra foliis latioribus, floribus jam sub anthesi distantibus, calycibus bracteisque glabris. An varietas *P. albicantis* orta a solo?; nam *Cavanilles* in vineis se illam collegisse fatetur, dum nostra in collibus aridissimis vel in arenosis maritimis provenit. Varietas *b.* de qua loquitur *Poir. l. c.*, ad hanc speciem certe spectare videtur. In *S. veg. Cl. Spr.* haec species desideratur.

PLANTAGO *MARITIMA. Lin.*

P. foliis linearibus semiteretibus subcarnosis integerrimis vel hinc inde dentatis, basi piloso-lanatis, scapo tereti, spica cylindrica elongata, bracteis ovatis calyce brevioribus. *Lin. sp. pl. 165. Will. sp. pl. 1. p. 647. Pers. syn. 1. p. 139. Poir. dict. enc. 5. p. 382. R. S. s. veg. 3. p. 130. Spr. s. veg. 1. p. 436. Ten. fl. nap. pr. p. 13.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 148. Fl. dan. 243.*

P. angustifolia. *Dod. pempt. 108.*

In maritimis salsis, et inundatis argillo-arenosis Calabriae orientalis, *Trebisacce, Cassano, Cotrone;* Lucaniae *Policoro, Torre a mare;* Japygiae, *Gallipoli, Brindisi, Otranto.*

Majo, Junio. ♃

PLANTAGO *SUBULATA. Lin.*

P. radice lignosa caespitosa, foliis linearibus rigidis glabriusculis margine tenuissime serrulato-ciliatis canaliculatis subpungentibus, scapo-tereti pubescente, spica cylindrica brevi, bracteis acutis calyce subaequalibus. *Lin. sp. pl. 166. Will. sp. pl. 1. p. 647. Poir. dict. enc. 5. p. 384. R. S. s. veg. 3. p. 135. Spr. s. veg. 1. p. 438. Ten. fl. nap. pr. p. 13.*

P. triquetra. *Pers. syn. 1. p. 140.*

Ic. Serpentina omnium minima. *Lob. ic. 439.*

Holosteum, seu serpentina omnium minima. *Moris hist. 3. s. 8. t. 17. f. 29*; (icon ex *Lobelio*).

In collibus aridis calcareis maritimis Calabriae orientalis, *Cariati*; Japygiae, *Brindisi*, *Otranto*; Peucetiae, *Monopoli*; et Aprutii, *Aquila*, *Monte Costone*, *Majella*, *Piano di cinque miglia.*

Junio, Julio. ♄

Non est certe praecedentis varietas, cum qua quamvis aliquando occurrat, tamen semper diversa permanet.

PLANTAGO *MACRORHIZA. Poir.*

P. radice lignosa, foliis carnosis glabriusculis spathulatis inciso-dentatis, dentibus subimbricatis mucronatis, scapo tereti pubescente, bracteis acuminatis squarrosis spicaque cylindrica villosis, capsulis dispermis 2-3-locularibus, loculo tertio sterili. *Poir. it. 2. p. 154. Will. sp. pl. 1. p. 648. Poir. dict. enc. 5. p. 387. Pers. syn. 1. p. 140. R. S. s. veg. 3. p. 140. Spr. s. veg. 1. p. 438. Ten. fl. nap. pr. p. 13.*

P. chrithmoides. *Desf. atl. 1. p. 140.*

Ic. Coronopus siculus fructicosus, platyphyllos. *Bocc. sic. t. 15. f. 2. Moris. hist. 3. s. 8. t. 17. f. 36.*

In rupibus calcareis maritimis Japygiae, *Gallipoli*, *Leuca*, *Otranto*, *Castro*, *Polignano.*

Aprili, Majo. ♄

PLANTAGO *AMPLEXICAULIS. Cav.*

P. caule erecto, foliis lanceolatis utrinque at-

*

tenuatis amplexicaulibus integerrimis pilosis, pedunculis axillaribus elongatis, spica ovata glabra, bracteis latis margine scariosis. *Cav. ic. 2. p. 22. Will. sp. pl. 1. p. 650. Pers. syn. 1. p. 138. R. S. s. veg. 3. p. 142. Spr. s. veg. 1. p. 439.*

Ic. *Cav. l. c. t. 125.*

In glareosis et arenosis maritimis Calabriae orientalis, da *Torre varata a Capo Palizzi, tra Melito e Capo spartivento.*

Aprili, Majo. ♃, ♂

Radix simplex, brevis, tortuosa, fibrosa. *Caulis* erectus, basi alterne ramosus, ramis patentibus adscendentibus vel erectis; glaberrimus, levis, striatus, fistulosus, 1-6-pollices altus. *Folia* alterna, undique pilosa, acuta, plana, trinervia, nervis aliquando obliteratis; petiolata, petiolis basi pilosissimis; intense virentia superiora approximata. *Pedunculi* teretes, non striati, hinc inde pilis sparsis, basi praesertim, obsiti, recti vel adscendentes, ½-1 pedem longi, *Spica* ovata, rare oblongo-ovata, 1-4 lin. longa. *Bracteae* glaberrimae, subrotundo-ovatae, concavae, carinatae, carina nigricante, calycibus longiores, 1 ½ lin. longae et latae. *Calycis* foliola scariosa, glabra, elliptica, acuta. *Corollae* laciniae planae, calycibus conformes. *Capsula* bracteis longior, glabra, disperma. *Semina* oblongo-elliptica, glabra, nitida, pallide lutescentia, cymbiformia. *Dissepimentum* planum, glabrum, ellipticum, medio fuscum, lateribus flavescens.

In omnibus nostris speciminibus folia sunt semper undique pilosa, nec margine tantum ciliata, ut in varietate *b.* hujus speciei; idest *P. lagopoides*, *Desf. atl. 1. p. 135. t. 39. f. 2.*

CAMPHOROSMA *MONSPELIACA. Lin.*

C. caespitosa hirsuta, foliis bracteisque subulatis, floribus axillaribus glomerato-spicatis. *Lin. sp. pl. 178. Will. sp. pl. 1. p. 696. Pers. syn. 1. p. 149. Ten. fl. nap. pr. p. 13. Spr. s. veg. 1. p. 453.*

C. perenne. *R. S. s. veg. 3. p. 462.*

Ic. *Lam. ill. gen. t. 86.*

Camphorata monspeliensium. *Bauh. hist. 3. p. 379.*

In collibus calcareis maritimis Japygiae, *Leuca*, *Otranto*, *Castro*; Aprutii, *Atri.*

Junio, Julio. ♄

Varias *foliis* plus minusque hispidis, virentibus vel subincanis; *calycibus* viridibus vel albido-tomentosis.

TETRANDRIA-DIGYNIA.

HYPECOUM *PROCUMBENS. Lin.*

H. siliquis arcuatis compressis articulatis, petalis exterioribus circumscriptione ovatis, basi cuneiformibus apice trilobis, interioribus tripartitis, lacinia centrali conduplicata dentato-ciliata, foliorum

laciniis lanceolatis acutis. *Lin. sp. pl. 181. Will. sp. pl. 3. p. 704. Pers. syn. 1. p. 150. Lam. dict. enc. 3. p. 160. Sibth. fl. gr. 1. p. 46.* (descriptio optima). *R. S. s. veg. 3. p. 481. Dec. pr. syst. nat. 1. p. 123. Spr. s. veg. 1. p. 491. Ten. fl. nap. pr. p. 13.*

Ic. *nostra t. 14. Sibth. fl. gr. t. 155 !* optima et ex asse cum planta nostra conveniens. *Lam. ill. t. 88.*

In arenosis maritimis et inter segetes Calabriae *da Reggio a Capo Pellaro, marina di Stilo, di Catanzaro, di Cotrone, di Crucoli;* Peucetiae, *Barletta, Bari;* Dauniae; *Saline, Casal Trinità.*

Martio, Aprili. ⊙

Folia radicalia laete viridia, bipinnatifida; laciniis elongatis, lineari-lanceolatis, angustis, integris, planis, 1- ½ lin. longis, vix semilineam latis; caulina ad pedunculorum divisionem pinnatifida; laciniis linearibus, interdum setula albida terminatis. *Petioli* plani, laciniis lineari setaceis prope basim approximatis instructi. *Calyx* saepius apice denticulatus, raro integer. *Corollae petala duo majora* glabra, omnino lutea, profunde triloba, lobis lateralibus planis, non intus revolutis; circumscriptione ovata, basi cuneiformia, 5 lin. longa, 4 lin. lata, apice plana non concava, basi carinata : *petala duo interiora* tripartita, laciniis lateralibus concoloribus, lin. latis, 2 lin. longis; intermedia basi constricta filiformi, a medio ad apicem dilatata, margine hyalina, apice ciliata, conduplicata, pistillum amplectente. Reliqua ut in descriptione *Fl. gr. l. c.*

HYPECOUM *GLAUCESCENS. Nob.*

H. siliquis arcuatis compressis articulatis, petalis exterioribus dorso glabris oblongis angustis obsolete trilobis, interioribus tripartitis, lacinia centrali planiuscula subciliata, foliorum laciniis obovato-cuneiformibus obtusis mucronatis.

Ic. *nostra t. 15.*

In arenosis maritimis Calabriae orientalis, Lucaniae, Japygiae; et in Corsica ex speciminibus cum *H. procumbenti* confusis.

Martio, Aprili. ⊙

Folia radicalia glauco-cinerea, bipinnatifida, laciniis brevibus, obovato-cuneiformibus, 2-3 dentatis, raro integris, vix lin. longis, dimidiam lineam latis, et in quibusdam longitudo latitudinem aequat, planis, rotundatis cum acumine: caulina ad pedunculorum divisionem pinnatifida; laciniis lanceolato-linearibus, acutis, interdum setula destitutis. *Petioli* subcanaliculati, laciniis paucis lineari setaceis prope basim. *Calyx* saepius integer, raro denticulatus. *Petala* duo exteriora majora, pallide lutea, glabra, apice virescentia, obsolete triloba, lobis lateralibus intus revolutis; circumscriptione oblongo-ovatis, 4 lin. longis, 2 ½ latis, apice concavis, ecarinatis: *petala duo* interiora tripartita, laciniis lateralibus concoloribus, angustissimis, vix ½ lin. latis, 1 ½ longis; intermedia basi constricta filiformi, e medio ad apicem dilatata, fere plana, vix condupli-

cata, apice ut plurimum non ciliata, margine non hyalina. *Siliquae* ut in *H. procumbenti.*

Summa cum praecedente affinitas, et nisi specimina sint rite parata ex sicco aegre dignoscendum; tamen ut ex plantis vivis, icone, ac descriptione clare patet sufficientibus notis distinctum. Quoad descriptionem etiam *H. patenti Will.*, et *H. littorali* videtur affine, sed diversum a primo petalis exterioribus oblongis angustis, non magnis cordiformibus; obtuse trilobis non utrinque lobulis acutis, et intense hastaeformibus, etc. A secundo petalis dorso glabris, interioribus tripartitis, non integris.

TETRANDRIA – TETRAGYNIA.

BULLIARDA *VAILLANTII. Dec.*

B. caule erecto ramoso dichotomo, foliis oblongis acutiusculis, pedunculis axillaribus terminalibusque elongatis. *R. S. s. veg. 3. p. 499. Spr. S. veg. 1. p. 498.*

Tillaea Vaillantii. *Will. sp. pl. 1. p. 720. Pers. syn. 1. p. 153. Poir. dict. enc. 7. p. 674. Ten. fl. nap. pr. sup. 1. p. 53.*

Ic. *Dec. pl. gras. t. 74.*

Sedum minimum, annuum, floro roseo, tetrapetalo. *Vaill. paris. t. 10. f. 2.*

In depressis inundatis calcareis Calabriae orien-

talis, *Cotrone*; Japygiae, *Leuca*, *Castro*, *Lecce*; Peucetiae, *Monopoli*, *Polignano*.

Martio, Aprili. ⊙

CLASSIS V.

PENTANDRIA-MONOGYNIA.

MYOSOTIS *PALUSTRIS*. *Lin.*

M. calycibus 5-dentatis glabriusculis, dentibus subaequalibus obtusiusculis corollae tubum aequantibus, corollarum limbo calyce plus duplo longiore, foliis lanceolatis obtusis glabriusculis. *Poir. dict. enc. 4. p. 398. Spr. s. veg. 1. p. 557. Lehm. asp. p. 88.*

M. scorpioides. *Will. sp. pl. 2. p. 746. R. S. s. veg. 4. p. 101.*

M. scorpioides, *A. palustris. Lin. sp. pl. 188.*

Ic. *Sturm. fl. germ. fasc. 5.*

In aquosis maritimis et ad rivulos lente fluentes Calabriae orientalis; *Corigliano*, *Cassano*.

Aprili, Majo. ♃

ANCHUSA *UNDULATA*. *Lin.*

A. foliis lineari-oblongis subdentatis, margine undulato-crispis, racemis spiciformibus, calycibus profunde quinquefidis erectis, fructiferis inflatis

pendulis, stylis calyce duplo longioribus. *Lin. sp. pl. 191. Will. sp. pl. 1. p. 757*, excl. syn. *Gmel. Pers. syn. 1. p. 159. Lam. dict. enc. 1. p. 503. R. S. s. veg. 4. p. 91*, et *768*, excl. syn. *Sab. H. Rom. 2. t. 24.* ad *A. hybridam* spectante. *Lehm. asper. p. 241*, excl. ab utrisque syn. *Fl. gr.* ac *Fl. per. Spr. s. veg. 1. p. 562. Ten. fl. nap. 1. p. 45.* excl. syn. *Gmel.*

Ic. nostra t. 16.

A. angustis dentatis foliis hispanica. *Bocc. mus. t. 77. Barr. ic. 578.*

In herbidis maritimis Calabriae orientalis, *Siderno, Crucoli, Cassano, Corigliano, Catanzaro.*

Aprili, Majo. ♂, 4

Planta undique piloso-hispida, non vere strigosa. *Caules* pedales vel sesquipedales, erecti vel patentes, simplices vel basi tantum ramosi, apice paniculati, teretes. *Folia* lineari-oblonga, 2 - 2 ½ poll. longa, vix 2 - 3 lin. lata, margine undulato-crispa ac denticulata; inferiora obtusa, basi in petiolum attenuata; superiora acuta, sensim breviora, basi dilatata non attenuata, sessilia. *Racemi* apice recui, ramosi; ramis subdivaricatis; *floribus* primum approximatis, demum distantibus. *Bracteae* cordato-ovatae, acutae, breves, pedunculo subaequales, foliis caulinis supremis conformes. *Calices* ultra medium quinquefidi; sub anthesi erecti, cylindrici, tubulosi, laciniis lineari-lanceolatis acutiusculis; in fructu penduli, campanulati, laciniis dilatatis ovato-lanceolatis *Corollae* tubus calyce lon-

gior, cylindraceus, albidus; *limbus* intense coeruleus vel albus, patens, laciniis ovatis acutis; *faux* clausa fornicibus oblongis, superne saccatis, apice et margine pubescentibus, dorso prope basim glabris, albidis. *Stylus* calyce duplo longior, superne non incrassatus, glaber; *stigmate* globoso. *Semina* matura non vidi.

A. *undulatam Sibth fl. gr. 2. p. 56. t. 165*, et *Fl. port. p. 177. t. 22.* potius ad *A. hybridam Ten.*, quam ad hanc speciem spectare mihi visum est, quia Cl. *Sibth. l. c.* notat icones *Bocconi* ac *Barrelieri* malas esse; et dum nostra planta cum istis omnino convenit, ab illis *Fl. gr.* et *Fl. port.* recedit. An icon *Milleri ad A. undulatam* pertineat affirmare nequeo, dum opus hoc adhuc mihi consulere non licuit. Praeterea descriptio Cl. *Lehmanni l. c.* nonnihil a nostra discrepat, nam stylus evidenter calyce duplo longior, ut in iconibus *Bocconi* et *Barrelieri* etiam observatur, qui » *longitudine fere calycis* » a *Lehmannio* describitur. Fatendum quidem est *A. undulatam*, et *A. hybridam* admodum inter se affines esse; sed folia margine undulato - crispa, ac denticulata duploque angustiora, statura minor, et denique stylus longe exsertus *A. undulatam* ab *A. hybrida* satis distinguunt; dum characteres a calycis partitione et ab hujus laciniis desumpti pro hisce speciebus discriminandis pauci momenti sunt.

CYNOGLOSSUM *CHEIRIFOLIUM. Lin.?*

C. caule erecto, foliis sericeo-tomentosis, radicalibus lanceolatis, caulinis sessilibus basi angustatis, racemis ante anthesim confertis, calycibus albido-lanatis laciniis lineari lanceolatis acutis corollae tubo vix brevioribus, staminibus inclusis, nucibus muricatis margine subinciso-radiatis *Lin. sp. pl. 193? Will. sp. pl. 1. p. 762. Lam. dict. enc. 2. p. 238. Spr. s. veg. 1. p. 96. Ten. fl. nap. pr. p. 14.*

Anchusa lanata. *R. S. s. veg. 4. p. 96.?*

Ic. Cynoglossa media, argentea, apula, campestris calidarum regionum. *Column. ecphr. 1. t. 171!*

C. creticum 1. *Clus. hist. 2. p. 162.?*

In collibus aridis calcareis mari finitimis Calabriae orientalis, *Cassano, Monte Giordano;* Japygiae, *Monopoli, Otranto.*

Martio, Aprili. ♂

Corollae calycem linea excedentes! *Stamina* tubo corollae fere dimidio breviora. Confer Cl. *Ten. in fl. med. p. 116.*

CYNOGLOSSUM *MAGELLENSE. Ten.*

C. foliis lineari-lanceolatis, radicalibus tomentoso-incanis, superioribus basi latioribus villoso-lanatis, racemis bracteatis compactis, corollis calycem subaequantibus lobis rotundatis, nucibus centro laeviusculis, margine inciso-radiatis muricatis. *Ten. fl.*

nap. pr. p. 66. Lehm. asper. p. 168. R. S. s. veg. 4. p. 81. Spr. s. veg. 1. p 566.

Ic. *Ten. fl. nap. t. 117.*

Cynoglossa media, montana, incana angustifolia altera, flore globoso, frigidarum regionum. *Column. ecphr. 1. t. 174.*

In pascuis montosis Aprutii alla *Majella*, ubi Cl. *Tenore* invenit; et prope Aquilam in montibus *S. Franco*, *Costone*, *Intermesole*, *M. Corno.*

Junio, Augusto. ♂

Folia radicalia *C. Cheirifolii* simillima, tantummodo longiora et acutiora; caulina vero omnia lanata et pallidiora. Pro *Salvia officinali* in Aprutio saepe adhibentur ad sudorem ciendum, ac ad dentium vel capitis dolores rheumaticos sedandos; sed stomachi vitiis nullimodo idonea esse incolae conqueruntur; quod a viribus narcoticis hujus plantae derivatur.

CERINTHE *ASPERA b. pallida.*

In arvis cultis et agris Calabriae, *Reggio.*

Martio, Aprili. ⊙

Caulis erectus vel adscendens, teres, glaber, immaculatus, laevis, basi ramosus, ramis adscendentibus. *Folia* radicalia linguaeformia, vel spathulata, obtusissima, superiora oblonga vel obovata, obtusa; omnia amplexicaulia, laete viridia, immaculata, verrucis albis superne scabra, margine ciliata. *Racemi* terminales, solitarii, apice nutantes, bracteati;

bracteis amplexicaulibus, profunde cordato-ovatis, ciliatis, acutis, basi rubro-violaceis, ceterum foliis similibus. *Pedunculi* subaxillares, scabri, glabri, 3 lin. longi, bracteis duplo breviores, apice violacei, post anthesim cernui. *Calyx* pentaphyllus, foliolis glabris, viridibus, basi violaceis, 4 lin. longis, corollae tubo brevioribus, inaequalibus: quorum vel unico latiore, obtuso, duas lineas lato, ovato-oblongo, basi profunde cordato; duobus angustioribus, acutiusculis, 1 ½ lin. latis, reliquis duobus angustissimis, 1 lin. latis, acutis, lineari-lanceolatis: vel duobus latioribus, profunde cordatis, altero saepius obliquo, tribus interioribus angustioribus. *Corolla* calyce duplo longior, subcylindrica, pallida, basi lutescens, superne albida, 5-dentata, dentibus acutis, reflexis, margine revolutis. *Stamina* filamentis lutescentibus, glabris, teretibus, basi subcompressis et dilatatis; antheris cirrhosis, filamento subaequalibus, lineam exsertis, muricato-scabris. *Stylus* glaber, staminibus aequale. *Stigma* simplex. *Semina* duo, nigra, subrotunda, subtriquetra, apice acuta, glabra, altero latere interne compressa.

ECHIUM *PYRENAICUM*. *Lin.*

E. caule herbaceo ramoso strigoso-hispido, ramis adscendentibus pyramidatis paniculatis, foliis lineari-lanceolatis, spiculis elongatis floribus subdistantibus (carneis vel dilute violaceis), staminibus

corolla subaequali sesquilongioribus. *Lin. mant. p. 334. Will. en. H. Ber. 1. p. 187. Lehm. asp. p. 444. R. S. s. veg. 4. p. 22. Spr. s. veg. 1. p. 553. Ten. fl. nap. pr. sup. 4. p. 5.*

Ic. *Lepeyr. fl. pyr. t. 66.* (ex *R. S.*)

In collibus aridissimis calcareis Japygiae, *Ugento, Otranto , Lecce , Pulsano*; et Peucetiae, *Mola, Monopoli.*

Majo, Junio. ♂

E. *italico* affine hirsutie omnium partium, sed folia angustiora, et totius plantae forma pyramidato-ovata, non pyramidato-lanceolata ut in illo.

ECHIUM *PUSTULATUM. Sibth.*

E. caule herbaceo ramoso foliisque lineari-oblongis repandis tuberculato-hispidissimis, spiculis simplicibus patentibus, staminibus corollam irregularem aequantibus. *Sibth. fl. gr. 1. p. 68. Smith. fl. gr. pr. 1. p. 125. Lehm. asp. p. 448. R. S. s. veg. 4. p. 26. Spr. s. veg. 1. p. 553. Ten. fl. nap. pr. supp. 3. p. 379.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 180.*

In aridissimis collibus Calabriae orientalis, *Reggio, Stalatti, Catanzaro, Corigliano, Cirò, Cassano;* Japygiae, *Taranto, Nardò, Gallipoli, Ugento, Brindisi, Lecce.*

Aprili, Majo. ♂

Stamina semper corolla aequalia, nunquam

longiora ut ex descriptione *Spr. l. c.*, qua praesertim nota ab *E. vulgari* distinguitur.

ECHIUM *ARENARIUM*. *Guss.in. sem. H. R.Boc.an.1825.*

E. caule tenui diffuso, foliis spathulatis obtusis piloso-hispidis, calycibus hirsutis strigosis, staminibus corolla parva tubulosa brevioribus (inclusi).

E. diffusum. *Guss. cat. H. R. Bocc. p. 23*, non *Smith.*

Ic. *nostra t. 17.*

In arenosis maritimis Calabriae orientalis, *Reggio, S. Leonardo, Capo Rizzuto;* Japygiae *Taranto, Pulsano, S. Cesarea.*

Aprili, Majo. ⊙

Radix tenuis, descendens, simplex. *Caules* piloso-hispidi, pilis adpressis albidis, vix tuberculati, 3-5 pollices longi, basi praecipue ramosi; *ramis* inferioribus patulis, diffusis vel declinatis, lateralibus sepe longioribus. *Folia* integra, in petiolum attenuata, tuberculata, 2-3 lineas lata, pollicem longa, semper acuta. *Flores* spicati, *spica* virescente apice recurva; approximati, demum remotiusculi, subsessiles, supraxillares, bracteati; *bracteis* ovato-lanceolatis, oblique cordatis, acutis, aliquando subfalcatis, 4-5 lin. longis, basi 1-½ latis. *Calyces* tuberculato-hirsutissimi, setis rigidis patulis, flavescentibus vel rufescentibus, e tuberculo viridi prodeuntibus, 5-partiti, laciniis lineari-lanceolatis, acutis, conniventibus, subaequalibus, adpres-

sis, integerrimis, dorso carinatis, intus planis, sub anthesi vix 2 lin. longis, 1-latis, in fructu elongatis, 5-6 lin. longis, 1 ½ ad 2 latis, sed non ita dilatatis et ampliatis ut in *E. parvifloro*. *Corollae* tenues, vix 2 lin longae, quoad formam *E. parvifloro* similes, sed intense violaceae et basi albidae, glabrae, externe pubescentes, vix linea calycem excedentes, lobis duobus superioribus rotundatis, minute denticulatis. *Stamina* inclusa; *filamentis* albis, rectis, glabris; *antheris* pallidissime coerulescentibus. *Pistillum* inclusum, staminibus aequale, hirtum pilis albidis sursum adpressis, apice glabriusculum; *stigmate* glabro, bifido *Semina* (*nuces*) cordato-ovata, subtrigona, acuminata, verrucis callosis aspera.

Pro *E. diffuso Sibth.*, habui et sub hoc nomine semina exteris Botanicis comunicavi, sed inspecta icone *Fl. Gr.*, et specimina cretica exsiccata a *Siebero* missa, distinctam esse speciem cognovi, quamvis satis proxima. Etiam *E. tenui* affine, sed indicatis characteribus diversum.

CONVOLVULUS *SEPIUM*. *Lin.*

C. caule volubili, foliis oblongo-sagittatis, auriculis distantibus, pedunculis unifloris tetragonis, bracteis calyce longioribus carinatis planis adpressis, lateribus parallelis invicem distantibus. *Lin. sp. pl. 218. Will. sp. pl. p. 1. p. 844*, et *en. H. Ber. 1. p. 202. Smith. fl. brit. 1. p. 233. Lam. dict. enc. 3. p.*

539. Pers. syn. 1. p. 177. Curt. Lond. fasc. 1. p. 13. Spr. s. veg. 1. p. 603.

Calystegia sepium. *R. S. s. veg. 4. p. 182.*

Ic. *Curtis l. c. t. 13. Fl. dan. 458. Sturm. fl. germ. f. 1. Plenk. off. t. 91.*

Smilax laevis, major. *Dod. pempt. 392.*

In sepibus humentibus Samnii ac Aprutii, et in dumetis maritimis inter *Juncos* in Calabria orientali, Lucania, ubi vero non admodum frequens.

Junio, Septembri. 2

Caules rubentes. *Folia* pallide virentia, vix pollicem lata, cordato-ovata; superiora cordato-oblonga, acuta vel acuminata, lobis truncatis distantibus, hinc sinu aperto. *Pedunculi* tetragoni, aliquando subalati, petiolo longiores. *Bracteae* ovato-oblongae, adpressae, planae, basi carinatae et lateribus invicem distantibus, quandoque fere sagittatae, ac basi subproductae, apice obtusae, mucronatae. *Calycis* foliola acuta vel obtusa, mutica, rare breviter mucronata. *Corollae* 14-15 lin. longae. *Capsula* calyce aequalis.

CONVOLVULUS *SYLVESTRIS. Wald. et Kit.*

C. caule volubili, foliis cordato-sagittatis auriculis approximatis, pedunculis unifloris subteretibus, bracteis calyce longioribus carinatis concavis inflatis lateribus invicem superincumbentibus. *Wald. et Kit. pl. rar. Hung. 3. p. 290. Will. en. H. Ber. 1.*

p. 282. Link. en. alt. H. Ber. 1. p. 201. Spr. s. veg. 1. p. 603.

Calystegia sylvestris. *R. S. veg. 4. p. 183.*

Ic. *Wald.* et *Kit. l. c. t. 261.*

In Italiae meridionalis calidioris sepibus undique obvius, ac praecedente communior.

Majo, Julio. 2ℓ

Planta omnibus partibus praecedente major. *Caules* virides. *Folia* omnia cordato-sagittata, latiora, 2-4 pollices lata, intense virentia, lobis magis approximatis. *Pedunculi* subteretes, raro etiam tetragoni. *Bracteae* ovatae, ventricosae, apice rotundatae vel emarginatae, breviter mucronatae, basi carinatae, lateribus invicem superincumbentibus. *Calycis* foliola ut in *C. sylvestri*, sed aliquando acutiora. *Corollae* majores, 1 ½-2 poll. longae. *Capsulae* calyce dimidio breviores.

Foliorum et *pedunculorum* characteres pro hisce duabus speciebus discriminandis fere nullius momenti sunt, quia admodum variabiles; at *bracteārum* figuram, *corollarum* magnitudinem, atque *capsularum* cum calyce proportio omnino constantes vidi. Ex observatione Cl. *Poir. dict. enc. supp. 3. p. 460*, et *R. S. l. c.*, forsan *C. inflatus H. Paris.* ad *C. sylvestrem* spectat, quamvis patria diversus.

CONVOLVULUS *PENTAPETALOIDES. Lin.*

C. foliis sessilibus oblongis lanceolatisque lineatis subciliatis, pedunculis unifloris folio subduplo brevio-

*

ribus, corollis semiquinque fidis. *Lin. syst. nat. 229. Will. sp. pl. 1. p. 867*, excl. syn. *Jacq.; Lam. dict. enc. 3. p. 548. Pers. syn. 1. p. 180. R. S. s. veg. 4. p. 290. Spr. s. veg. 1. p. 610. Ten. fl. nap. pr. p. 15.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 197.*

In arvis et collibus argillosis Calabriae orientalis, *Brancaleone, Cotrone, Cassano;* Lucaniae, *Policoro, Torre a mare.*

Aprili, Majo. ☉

CAMPANULA *VERSICOLOR. Sibth.*

C. caule erecto vel adscendente, foliis cordatis serratis levibus, thyrso terminali, laciniis calycinis subulatis, corolla rotato-patula. *Sibth. fl. gr. 2. p. 5. Smith. fl. gr. pr. 1. p. 138. R. S. s. veg. 5. p. 109. Spr. s. veg. 1. p. 728.*

C. corymbosa, caulibus adscendentibus prostratisque flexuosis, foliis radicalibus ovato-cordatis longissime petiolatis glanduloso-dentatis, caulinis ovatis petiolatis, omnibus coriaceis glaberrimis, floribus corymbosis, petiolis subsimplicibus. *Ten. app. alt. ad Cat. H. R. neap. p. 73?*

C. Tenorii, caulibus adscendentibus prostratisque flexuosis, foliis radicalibus ovato-cordatis petiolatis dentato-serratis, caulinis ovatis, omnibus coriaceis glaberrimis, floribus racemosis, pedunculis subramosis. *Moret. annotazioni al prospetto di una descrizione geografica d' Italia di Schow p. 19* in notis *n. 15.?*

Ic. *Sibth. l. c. t. 207.*

In rupibus calcareis maritimis Japygiae; *da Gallipoli ad Otranto.*

Junio, Julio. 4

CAMPANULA *LATIFOLIA. Lin.*

C. caule tereti striato glabro, foliis ovato-lanceolatis duplicato-serratis, pedunculis axillaribus unifloris erectis, calycibus glabris, fructibus cernuis. *Lin. sp. pl. 233. Will. sp. pl. 1. p. 90. Lam. dict. enc. 1. p. 582. Pers. syn. 1. p. 190. R. S. s. veg. 5. p. 119. Spr. s. veg. 1. p. 730.*

Ic. *Fl. dan. 782*

In nemoribus elatioribus montium Aprutii; *Monte Costone, e Chiarino prasso Aquila, Majella.*

Julio, Augusto. 4

CAMPANULA *GLOMERATA. Lin.*

C. caule subangulato simplici glabriusculo, foliis scabris oblongo-lanceolatis cordatis supra virentibus subtus pallidis petiolatis, petiolis non alatis, superioribus sessilibus, floribus capitato-glomeratis, foliis supremis involucriformibus. *Lin. sp. pl. 235. Will. sp. pl. 1. p. 903*, excl. varietate *b. Pers. syn. 1. p. 190. Lam. dict. enc. 1. p. 583. R. S. s. veg. 5. p. 124. Spr. s. veg. 1. p. 731. Ten. fl. nap. 1. p. 70.*

Ic. *Fl. dan. 1328.*

In pascuis submontosis Samnii, *a Monte Capraro;* et Aprutii, *Chiarino, Morrone, Monte Corno, Majella.*

Junio, Julio. 4

CAMPANULA *FOLIOSA. Ten.*

C. caule angulato simplicissimo hirsuto, foliis omnibus cordato-ovatis bidentatis scabriusculis utrinque viridibus petiolatis, petiolis alatis, floribus capitato-glomeratis, foliis supremis involucriformibus ovato-cordatis latis, stylo corollae breviore. *Ten. fl. nap. 1. p. 71. R. S. s. veg. 5. p. 126.*

Ic. *Ten. l. c. t. 8.*

In pascuis alpinis et montosis Aprutii; *Monte Corno, Monte Intermesole, Majella.*

Julio, Augusto. 4

Praecedenti affinis, tamen diversa et inde immerito cum illa confusa a Cl. *Spr.* in *s. veg. 1. p. 731.*

CAMPANULA *NUTABUNDA. Nob.*

C. caule erecto ramoso stricto, foliis linearilanceolatis repando-denticulatis, pedunculis filiformibus elongatis ante anthesim cernuis demum erectis, corollis infundibuliformibus limbo 5- partito!, capsulis subglobosis trilocularibus.

Ic. *nostra t. 18.*

In aridissimis collibus arenosis meridiem spectantibus Calabriae; *Reggio*, una cum *Jasione montana*.

Martio, Aprili. ⊙

Planta lactescens, *ramis* pluribus gracilibus, paniculatis elongatis. *Radix* herbacea, albida, caulescens, perpendicularis, fibris lateralibus instructa. *Caulis* herbaceus, solidus, rigidiusculus; inferne foliosus, subangulatus et setis albidis sparsis reflexis subhispidus; superne nudus, teres, glaberrimus; apice cernuus deinde erectus, semipedalis et ultra, viridis, simplex vel basi ramosus; ramis adscendentibus, vel erectis, strictis, cauli similibus. *Folia* sessilia, radicalia rosulata, horizontalia; caulina patula: omnia alterna, oblongo-lanceolata vel lanceolata, canaliculata, quandoque oblique flexa, hispido-ciliata, obtusiuscula, 1-2-pollices longa, 3-5-lin. lata, laete viridia. *Pedunculi* sub anthesi cernui, demum erecti, stricti; in extremitate caulis alterni, rare gemini, uniflori, teretes, glabri, pollicares vel bipollicares, bractea lineari-lanceolata concava basi ciliata suffulti; at in solo sterili caulis saepe simplex, et tunc uniflorus evadit. *Flores* parvi in caule ramoso subpaniculati, solitarii. *Calyx* cylindraceo-conicus, glaberrimus, virescens, 2-lin. longus, vix nervosus, semper 5-fidus; laciniis linearibus, acutis, rectis, integris. *Corolla* glabra, alba, basi teres, limbo 5-partito; laciniis ovatis vel ovato-lanceolatis, acutis, subtus carinatis, apice quandoque concavis. *Stamina* pistillo breviora; *filamentis* seta-

ceis, basi in membranam hyalinam pubescentem nectariferam more generis dilatatis; *antheris* oblongis, albido-lutescentibus. *Stigma* inclusum, tripartitum, laciniis revolutis, pubescentibus. *Capsula* glabra, trilocularis, apice dehiscens, trivalvis, valvulis apice obtusiusculis.

A *C. Lobelioide*, cui valde proxima, differt haec nostra *calycibus corollisque* semper 5-partitis vel quinquefidis, nunquam trifidis; *floribus* albis, lacteis, non albido-roseis; *laciniis limbi* acutis, non obtusiusculis; *capsula* subglobosa nec lineari-oblonga, triloculari non biloculari.

CAMPANULA *FALCATA*. *R. S.*

C. caule erecto angulis scabro, foliis oblongis integris planis acutiusculis, floribus axillaribus solitariis terminalibus subaggregatis, laciniis calycinis lineari-lanceolatis patentibus falcatis corolla duplo longioribus. *R. S. s. veg. 5. p. 154. Spr. s. veg. 1. p. 737.*

Prismatocarpus falcatus. *Ten. fl. nap. 1. p. 77.*

Ic. *Ten. l. c. t. 40.*

C. arvensis flore minimo, capsula grandi. *Buxb. cent. 4. t. 38.*

Inter segetes et ad sepes Calabriae orientalis.

Aprili, Majo. ⊙

Icon *Buxbaumii* a *Marsch.* in *fl. taur. cauc 1. p. 156.* sub *C. hybrida* relata, ad *C. falcatam* certe spectat.

PHYTEUMA *COLLINUM. Nob.*

P. caule levi subsimplici stricto virgato, foliis lineari-lanceolatis repando-denticulatis undulatis scabriusculis, floribus sessilibus subternis.

Campanula virgata. *Ten. fl. nap. 1. p. 66.* excl. syn.

Ic. *nostra t. 18.*

In collibus aridis maritimis Japygiae.

Aprili, Majo. ♂, 2

Caulis erectus, non striatus, subangulatus, quandoque pubescenti-scaber, simplex vel ramis aliquot erectis instructus. *Folia radicalia* lanceolata, utrinque attenuata, apice acuta, sed non exquisite acuminata ut in *P. virgato*, integra vel repando-denticulata, nunquam dentata, ut in icone *La Bill. pl. syr. rar. dec. 2. p. 11. t. 6;* glabra vel puberula, et tunc margine ciliata, sursum scabra, 2-3 poll. longa, 2-3 lin. lata; *caulina* linearia, angusta, adpressa. *Flores* 1-5, sessiles, coerulei. *Corolla* profundè 5- partita, laciniis patentibus, canaliculatis, acutis, 3-4 lin. longis. *Stamina* basi dilatata, corolla breviora. *Pistillum* corollà aequale, staminibus longior; *stylo* violaceo, filiformi, post anthesim elongato; *stigmate* pubescente, clavato, ferrugineo, apice vix 2-3-fido, laciniis incrassatis, non setaceis ut in citata icone *La Bill. Capsula* angulata, scabra, turbinata, trilocularis, poris tribus lateralibus dehiscens.

THESIUM *INTERMEDIUM*. *Bertol.*

T. caule stricto, foliis lanceolatis trinerviis, bracteis ternis intermedia floribus inferioribus longiore, calyce quinquefido abbreviato. *Bertol. am. it. p. 345.*

Ic. *nostra t. 19. f. 1.*

In pascuis montosis Aprutii; *Majella*, *Morrone*, *Monte Corno*, *Monte Costone*, *Monte Intermesole.*

Junio, Julio. 4

Cum hac specie in Aprutio quoque crescunt *T. linophyllum* et *T. montanum.* Illud semper in collibus humilioribus calcareis, istud in sylvaticis ad latera montium, et *T. intermedium* in pascuis subalpinis invenitur.

THESIUM *HUMILE*. *Vahl.*

T. caule erecto basi ramoso glabro, foliis linearibus crassiusculis enerviis, floribus subspicatis 5-fidis bracteatis, fructibus oblongis (majusculis) angulato-reticulatis. *Vahl. sym. 3. p. 43. Will. sp. pl. 1. p. 1212. R. S. s. veg. 5. p. 581. Spr. s. veg. 1. p. 829. Pers. syn. 1. p. 251. Poir. dict. enc. 2. p. 626. Ten. fl. nap. pr. supp. 4. p. 6.*

Ic. *nostra t. 19. f. 2.*

In aridissimis collibus maritimis Calabriae, *Reggio*, *S. Giovanni*, *Capo dell' Armi*; Japygiae, *Manduria.*

Aprili, Majo. ⊙

Radix annua, albida, glaberrima, perpendicularis, fibris lateralibus instructa. *Caules* erecti, basi teretes, superne triangulares, solidi, leves, glaberrimi, 3-6 poll. alti, statim a basi ramosi; ramis erectis, approximatis, caeterum cauli similibus. *Folia* erecta, sessilia, conferta, integerrima, sparsa, obtusa cum acumine, levia, supra plana, subtus convexa, et inferiora saepius semiteretia, enervia, 1-1 ½ poll. longa, ½ - 2 lin. lata, integerrima, superiora tantum margine minutissime serrulata. *Flores* virescentes, solitarii, sessiles, bracteis tribus suffulti; duabus linearibus, recurvis, margine serrulatis, acutis, 2 lin. longis, vix ½ lin. latis, caeterum foliis similibus; intermedia duplo longiore, 3-5 lin. longa. *Calyx* laciniis ovatis, acutis, carina virentibus, margine albidis, planis, apice quandoque concavis, sub anthesi patentibus, tubo brevissimo. *Stamina* quinque, calyce breviora; *antheris* lutescentibus. *Pistillum* staminibus aequale; *stigmate* albido, capitato, glabro. *Fructus* glabri.

LONICERA *ALPIGENA*. *Lin.*

L. foliis oblongis acutis glabris margine ciliatis, baccis didymis. *Lin. sp. pl. 248. Will. sp. pl. 1. p. 987. Lam. dict. enc. 1. p. 731. Pers. syn. 1. p. 213. R. S. s. veg. 5. p. 258. Spr. s. veg. 1. p. 758. Ten. fl. nap. pr. supp. 3. p. 329.*

Ic. *Jacq. austr. t. 274. Duham. arbr. ed. nov. v. 1. t. 16.*

[illegible]entibus.

[illegible], et Aprutii. Varietas [illegible]*stone*. Varietas *b. Ma-* [illegible]*nte di mezzo*, *Monte Ca-* [illegible]

[illegible] apud nos saepe variant. Vel [illegible] cordata, vel in petiolum atte- [illegible]onga, vel obovato-oblonga; acuta, [illegible]iter vel longe acuminata; subtus [illegible] nervos tantum pubescentia, aut ju- [illegible]entia, et inde glabra. In eadem planta [illegible] enumeratae foliorum varietates oc- [illegible] Icones *Jacquini* et *Duhamelii* folia utrin- [illegible] acuta exhibent.

[illegible] FLOCCOSUM. *Wald. et Kit.*

V. caule ramoso, foliis sessilibus (non decurrentibus) dense lanato-tomentosis, radicalibus breviter petiolatis oblongis subundulato-crenatis, caulinis superioribus subrotundo-ovatis acuminatis, florum fasciculis sparsis racemosis multifloris, filamentis omnibus barbatis. *Wald. et Kit. pl. rar. Hung. 1. p. 81. Will. en. H. Ber. 1. p. 224. Poir. dict. enc. supp. 3. p. 717. R. S. s. veg. 4. p. 343. Spr. s. veg. 1. p. 619.*

Ic. *Wald. et Kit. l. c. t. 79.*

In collibus aridis Calabriae orientalis, et Japygiae.

Majo, Junio. ♂

VERBASCUM *VIMINALE*. *Nob.*

V. caule simplici, foliis oblongo-ellipticis crenulatis superne viridibus adpresse villosis inferne albido-tomentosis, racemi subconferti fasciculis inferioribus remotis, bracteis calycibus capsulisque dense tomentoso-farinosis.

Ic. *nostra t. 21.*

In collibus aridis Japygiae; *Massafra*, *Castellaneta*, *Taranto.*

Majo, Junio. ♂

Caulis erectus, strictus, teres, laxe tomentosus, tomento deterso virescens vel purpurascens, 2-4 pedalis, tenax, et inde ad colligandum apud incolas inserviens, unde nomen specificum. *Folia radicalia* petiolata, 5-6 poll. longa, 1- 1 ½ lata; *caulina* sensim minora, sessilia, semiamplexicaulia, basi utrinque producta, suddecurrentia; *suprema* cordato-ovata, acuminata: omnia irregulariter crenata, supra leviuscula, subtus venoso-rugosa. *Racemus* terminalis, solitarius, simplex, pedalis vel sesquipedalis, fasciculis florum subcongestis; inferioribus remotis 2-4 floris, unico flore saepius fertili. *Pedicelli* calyce breviores. *Bractea exterior* fasciculorum ovata, in apicem attenuatum producta; *interiores* calyce minores, angusto-lanceolatae. *Calycis laciniae* ovato-lanceolatae, acutae, subcarinatae, interne glabrae, capsula fructifera subaequales vel breviores, 2-lin. latae, 2-4 lin. longae. *Corollas* non

vidi. *Capsula*, ovato-subrotunda, *stylo* persistenti mucronata. *Semina* subtetragona, utrinque truncata, excavato-rugosa, glabra, rufescentia.

VERBASCUM *LONGIFOLIUM*. *Ten.*

V. caule subsimplici, foliis oblongo-lanceolatis integerrimis tomento densissimo subtus albicante superne lutescente-aureo floccoso secedente obductis, radicalibus longissimis in petiolum attenuatis, caulinis amplexicaulibus (non decurrentibus), fasciculis florum dense spicatis, spica subramosa dense lanata. *Ten. fl. nap. 1. p. 89. R. S. s. veg. 3. p. 345. Spr. s. veg. 1. p. 620.*

Ic. *Ten. l. c. t. 21.*

In pascuis montosis Samnii et Aprutii; at vulgatissimum prope *Aquila al Monte S. Franco, ed al Monte Costone.*

Junio, Augusto. ♂

Corollae externe subfarinosae, pilisque stellatis undique obtectae. *Filamenta* tria breviora, purpurascentia, villis basim versus brevioribus et purpurascentibus, a medio ad apicem longioribus albidis: *filamenta* duo longiora incurva a reliquis remota, externe glabra lutescentia, interne aurantiaca undique glabra aut villosa; villis brevibus purpurascentibus. *Antherae* croceae difformes; filamentorum longiorum perpendiculares, adnatae, oblongo-lineares; breviorum horizontales, fere cor-

dato-subrotundae. *Stylus* purpurascens, basi villosus; *stigmate* clavato. Variat *caule* simplici et subramoso; *tomento* plus minusque flavescente, aliquando albido; *bracteis* latioribus vel angustioribus, acutis vel acuminatis; *foliorum* longitudine.

VERBASCUM *MICRANTHUM*. *Moretti.*

V. caule ramoso, foliis radicalibus petiolatis oblongo-lanceolatis acutis crenulatis subtus canescentibus, caulinis sparsis sessilibus sensim angustioribus, racemi compositi fasciculis remotiusculis. *Moret. dec. pl. it. 3. p. 6.*

Ic. nulla.

In lapidosis et umbrosis; montium Aprutii, *Morrone, Majella, Aquila a Chiarino.*

Julio, Augusto. ♂

Filamenta omnia crocea; duo longiora a basi ad medium, tria vero breviora undique barbata; villis albidis. *Antherae* omnes fertiles, aequales, croceae. *Folia* oblongo-lanceolata, non subfalcata.

VERBASCUM *NIVEUM*. *Ten.*

V. foliis candido-denseque floccoso-tomentosis, radicalibus obovatis lanceolatisque caulinis amplexicaulibus oblongis, spica simplici compacta, bracteis ovato-lanceolatis, filamentis barbatis pilis albidis. *Ten. fl. nap. 1. p. 90. Schrad. mon. verbasc. p. 18. R. S. s. veg. 4. p. 327. Spr. s. veg. 1. p. 618.*

Ic. *Ten. l. c. t. 22.*

In arenosis maritimis Jonii; *Cotrone, Crucoli, Cariati;* Adriatici, *Pescara.*

Aprili, Majo. ♂

Variat *tomento* candido, et pallide flavescente; *foliis radicalibus* obovato-cuneatis, ellipticis, ac oblongo-lanceolatis; tamen *caulina* nunquam decurrentia, et mea planta ab illa Cl. *Tenorii* certè non diversa, ut ex collatis speciminibus: ideoque male a *Schrad.* et *Spr. l. c.* ad sectionem foliorum decurrentium haec species refertur.

MANDRAGORA *OFFICINARUM. Lin.*

M. acaulis, foliis oblongo-lanceolatis ovatisque acutis undulatis, laciniis calycinis lanceolato-linearibus acuminatis, scapis unifloris. *Lin. sp. pl. ed. 1. p. 181. Bertol. el. pl. H. Bon. an. 1824. p. 6. R. S. s. veg. 4. p. 687.*

M. autumnalis. *Bertol. el. pl. H. Bon. an. 1820. p. 6. Spr. s. veg. 1. p. 699.*

Atropa mandragora. *Lin. sp. pl. ed. 2. p. 259. Ten. fl. nap. 1. p. 99.*

A. mandragora *b. Will. sp. pl. 1. p. 1017. Lam. dict. enc. 2. p. 396. Pers. syn. 1. p. 218.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 132. Plenk. offic. t. 126.* mala. Mandragoras. *Lobel. ic. 267.*

In arvis, et campis incultis mari finitimis Calabriae orientalis; *Reggio a Spartivento, S. Andrea, Cariati, Cassano*; Lucaniae, *Policoro.*

Septembri, Octobri. 2ℓ

LOBELIA *LAURENTIA. Lin.*

L. caule erecto vel prostrato ramoso, foliis lanceolato-ovalibus subundulatis, pedunculis solitariis unifloris longissimis. *Lin. sp. pl 1321. Will. sp. pl. 1. p. 941*, excl. var. *b. Lam. dict. enc. 3. p. 587. Pers. syn. 2. p. 214. R. S. s. veg. 5. p. 59. Spr. s. veg. 1. p. 717. Ten. fl. nap. pr. supp. 2. p. 67.*

Ic. Laurentia annua, minima, flore coeruleo. *Mich. gen. t. 14*, mala quoad folia.

Rapunculus aquaticus repens, flore coeruleo inaperto. *Bocc. mus. t. 27. fig. major.*

In humidis arenosis maritimis Japygiae; *Gallipoli, Taranto.*

Aprili, Majo. ⊙

ILLECEBRUM *PARONICHYA. Lin.*

I. bracteis subquinis nitidis flore triplo longioribus, foliolis calycinis apice concavis externe sub apice aristatis, caulibus procumbentibus. *Lin. sp. pl. 299. Sibth. fl. gr. 1. p. 163. Will. sp. pl. 1. p. 1205. Pers. syn. 1. p. 261. Ten. fl. nap. pr. p. 17.*

Paronichya hispanica. *Poir. dict. enc. 5. p. 24. R. S. s. veg. 5. p. 518. Spr. s. veg. 1. p. 821.*

Ic. *Sibth. l. c. t. 246.*

Paronichya hispanica. *Clus. hist. 2. p. 183.*

In arenosis et collibus aridis maritimis Calabriae orientalis, Lucaniae, Peucetiae, Japygiae, Dauniae.

Aprili, Majo. ♃

A Cl. *Sibth. l. c.* primum notantur aristae sub foliorum calycis apice; hae vero foliola minime retusa, sed apice concava et externe sub apice aristata.

ILLECEBRUM *SERPYLLIFOLIUM. Lin.*

I. bracteis nitidis flores terminales occultantibus, foliolis calycinis acutis muticis, foliis obovato-lanceolatis margine ciliatis, caulibus ramosis prostrato-repentibus. *Vill. delph. 2. p. 558*, excl. syn.; *Pers. syn. 1. p. 261. Ten. fl. nap. pr. supp. 2. p. 67.*

Paronichya serpyllifolia. *Poir. dict. enc. 5. p. 24*, et *supp. 4. p. 303. R. S. s. veg. 5. p. 519. Spr. s. veg. 1. p. 822.*

Ic. *Schrad. jour. 1801. p. 413. t. 4.*

In aridis calcareis montosis Samnii, *Monte Capraro, Capracotta;* Aprutii, *Monte Costone, Monte S. Franco, Monte Corno, Majella, Morrone, monti del Piano di cinquemiglia, di Pesco Costanzo.*

Junio, Julio. ♃

Caules procumbentes, repentes et radicantes. *Folia* crassiuscula, ciliata, superne plana, subtus convexa, vix carinata, enervia. *Stipulae* lineares, scariosae, integrae, vel lacerae. *Calyx* foliolis lan-

ceolatis, concavis, acutis, apice non fornicatis, externe pubescentibus, interne glabris, margine ciliatis. *Stigmata* duo. *Germen* puberulum. Ab *I. capitato* omnino diversum, ut ex icone *Fl. gr. t. 247.* plane constat.

ILLECEBRUM *ECHINATUM*. *Pers.*

I. floribus glomeratis axillaribus, bracteis opacis virentibus calyce brevioribus, calycinis foliolis apice longe aristatis, caulibus erecto-prostratis. *Pers. syn. 1. p. 260. R. S. s. veg. 5. p. 515. Sibth. fl. gr. 3. p. 39. Smith. fl. gr. prod. 1. p. 163.* (sub *I. capitato*), excl. syn. *Lin.; Spr. s. veg. 1. p. 819.*

Paronichya echinata. *Poir. dict. enc. 1. p. 23.*

I. verticillatum. *Ten. fl. nap. pr. sup. 1. p. 60.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 245.*

Polygonum capitulis inter genicula echinatis. *Bocc. sic. t. 20. f. 3.* (quae male ad *I. capitatum* a *Lin.* et a *Vahl.* relata fuit) *Moris. hist. 2. s. 5. t. 28. f. 5.*

In collibus aridis Calabriae; *Reggio, Capo dell' Armi.*

Aprili, Majo. ⊙

Caules erecti vel prostrati, graciles, 1-6 pollices longi. *Folia* elliptico-lanceolata vel rare obovata, acuta vel obtusa, margine saepius tenuissime ciliata, scabra, plana, opposita, breviter petiolata, laete virentia, internodiis longiora vel breviora, 2 lin.

*

longa, 1-lin. lata, sub lente punctis aureis pellucidis pulchre notata. *Stipulae* scariosae, brevissimae, acutae, ovato-lanceolatae, integrae vel bipartitae, breves. *Flores* glomerati, axillares, 5-6, breviter pedunculati. *Calyx* basi pubescens, angulatus, foliolis linearibus apice incrassatis (non fornicatis), in setam longam productis, non vero sub apice aristatis. *Bracteolae* brevissimae sub quovis flore. De genericis characteribus hujus speciei confer *Sibth. fl. gr. l. c.*

MOLLIA *ALSINAEFOLIA. Spr.*

M. caulibus procumbentibus geniculatis, foliis oppositis ovatis subcarnosis, floribus congestis terminalibus. *Spr. s. veg. 1. p. 795.*

Hagea alsinaefolia. *Biv. pl. rar. sic. man. 3. p. 7. Ten. fl. nap. pr. supp. 3. p. 379.*

Lahaya alsinaefolia. *R. S. s. veg. 5. p. 405.*

Ic. Alsine facie paronichyae secundae Matthioli. *Bocc. sic. t. 38.*

In arenosis maritimis Calabriae orientalis, da *Reggio, a Cassano;* Japygiae, *Taranto, Gallipoli.*

Majo, Junio. ⊙

Stamina 3-5. *Pistillum* unicum, *stigmatibus* tribus.

PERIPLOCA *GRAECA. Lin.*

P. floribus interne hirsutis terminalibus. *Lin. sp. pl. 309. Will. sp. pl. 1. p. 1248. Pers. syn. 1. p. 271. Poir. dict. enc. 5. p. 187. R. S. s. veg. 6. p. 126. Spr. s. veg. 1. p. 836.*

Ic. *Jacq. miscell. t. 1. f. 2. Duham. arb. ed. nov. v. 6. t. 11.*

Apocynum 11 angustifolium. *Clus. hist. 1. p. 125.*

In fruticetis humidis Japygiae; *Otranto presso il lago d' Alimini.*

Junio, Julio. ♄

CYNANCHUM *ACUTUM. Lin.*

C. herbaceum volubile, foliis acutis profunde cordatis lobis distantibus (sinu lato patente), laciniis calycinis ovato-oblongis acutiusculis (obtusis). *Lin. sp. pl. 310. Will. sp. pl. 1. p. 1254. Pers. syn. 1. p. 273. R. S. s. veg. 6. p. 96. Spr. s. veg. 1. p. 851. Ten. fl. nap. pr. p. 17.*

Ic. *Lam. ill. gen. t. 177. f. 2. Sibth. fl. gr. t. 250.*

Apocynum 3 latifolium. *Clus. hist. 1. p. 125.*

In maritimis, ad sepes humentes, et stagnorum margines solo pingui Calabriae orientalis, *Capo pel-*

laro prope *Reggio;* Japygiae, *Otranto al lago di Alimini.*

Junio, Julio. ♃

CHENOPODIUM *FRUTICOSUM*. *Lin.*

C. caule fruticoso erecto-patente irregulariter ramoso, foliis semiteretibus glaucescentibus obtusiusculis, floribus axillaribus sessilibus trigynis. *Lin. sp. pl. ed. 1. p. 221. R. S. s. veg. 6. p. 265.*, excl. syn. *Marsch.; Spr. s. veg. 1. p. 921.*

Salsola fruticosa. *Lin. sp. pl. ed. 2. p. 324. Will. sp. pl. 1. p. 1316. Poir. dict. enc. 7. p. 289. Pers. syn. 1. p. 296. Ten. fl. nap. pr. p. 18.*

Ic. Salsola fruticosa. *Sibth. fl. gr. t. 255.*

Chamaepitys vermiculata. *Lob. ic. 381.* mala.

In argillosis collibus maritimis Calabriae orientalis, *S. Leonardo, Capo rizzuto, Cotrone, Cariati Cassano, Francavilla, Montegiordano;* Lucaniae *Policoro;* Japygiae, *Otranto, Brindisi.*

Junio, Augusto. ♄

UMBELLATAE.

ERYNGIUM *DICHOTOMUM*. *Desf.*

E. ramis dichotomis, foliis radicalibus cordatis obovato-oblongis margine mucronato-dentatis, caulinis palmato incisis, involucri foliolis pungentibus

subdentato-spinosis capitula superantibus, receptaculi paleis flore duplo longioribus, exterioribus tricuspidatis interioribus subulatis. *Desf. atl. 1. p. 226. Pers. syn. 1. p. 299. R. S. s. veg. 6. p. 321. Spr. s. veg. 1. p. 870.*

E. syriacum. *Lam. dict. enc. 2. p. 759.*

Ic. *Desf. l. c. t. 55.*

In argillosis maritimis Calabriae orientalis, *Catanzaro presso il fiume Tacina, Cotrone, Cassano;* Lucaniae, *Policoro, Torre a mare;* una cum *E. pusillo.*

Majo, Junio. 4

Variat *ramis* concoloribus vel coloratis; *involucri foliolis* integerrimis vel serrulato-spinosis.

ECHINOPHORA *TENUIFOLIA*. *Lin.*

E. pubescens, foliis 2-3 pinnatifidis, foliolis cuneato-incisis planis canaliculatis inermibus. *Lin. sp. pl. 344. Will. sp. pl. 1. p. 1379. Lam. dict. enc. 2. p. 338. Pers. syn. 1. p. 301. R. S. s. veg. 5. p. 338. Spr. s. veg. 1. p. 873. Ten. fl. nap. pr. p. 18.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 266. Lam. ill. gen. t. 190. f. 2.*

Pastinaca echinophora, apula. *Column. ecphr. 1. t. 101.*

Crithmum maritimum apulum, seminis involucro spinoso. *Moris. hist. 3. s. 9. t. 1. f. 2.*

In arenosis collibus mari finitimis Calabriae orientalis, *Montegiordano;* Lucaniae *Policoro, Torre a mare;* Dauniae, *Canosa, Cirignola.*

Augusto, Septembri. 4

Planta valde aromatica. *Flores* lutei.

BUBLEURUM *ODONTITES*. *Lin.*

B. involucris involucellisque lineari-lanceolatis acutis (coloratis) membranaceo-scariosis hyalinis, umbellularum radiis elongatis inaequalibus, fructibus levibus (ecostatis) subcymbiformibus. *Lin. sp. pl. 342. Desf. alt. 1. p. 229. Jacq. H. Vind. 3. p. 47. Reich. pl. cr. cent. 2. p. 68;* sed excludantur ab omnibus synonyma *Column. ecphr. 1. p. 84, Bauh. hist. 3. p. 201*, et *Moris s. 9. t. 12. f. 7*, ad sequentem spectantia! *Ten. fl. nap. pr. p. 18.*

Bupleurum Fontanesii. *Guss. ind. sem. H. R. Bocc. an. 1825.*

Ic. nostra *t. 22. Reich. l. c. t. 177. f. 310. Jacq. l. c. t. 91.*

In campis maritimis Calabriae orientalis inter segetes, *da Melito a Cassano;* at in elatioribus campis a mari dissitis non invenitur.

Aprili, Majo. ⊙

Species sequenti affinis; sed in *B. odontite*, *caulis* ab ipsa basi ramosus, ramis divaricatis; qui in *B. aristato* superne ramosi, ramis erectiusculis: *folia* nonnihil latiora: *umbellarum pedunculi* apice incrassato-clavati, 2-7 lin. longi; non filiformes, aequales, pollicares et ultra: *involucri* foliola lineari-lanceolata, acuminata; sed non aristata: *flo-*

res longe pedunculati, *pedunculis* inaequalibus, 1-4 lin. longis; dum in *B. aristato* sunt subsessiles; *pedunculis* vix lin. longis, omnibusque aequalibus!; quo praesertim charactere, ut de seminibus sileam, primo intuitu facillime invicem dignoscuntur. *Fructus* rufescentes, lineari-oblongi, hinc convexi ecostati, inde plani sulcati, ideoque fere cymbiformes; at in *B. aristato*, nigricantes, utrinque fere truncati, altero latere obsolete costati, et potius subtetragoni; sed in utrisque glaberrimi sunt.

Summam differentiam inter hanc et sequentem speciem agnoscens, ac auctoritate Cl. *Smithii*, *Sprengelii*, aliorumque ductus, qui sequentem pro vero *B. Odontite Lin.* habent, et cujus iconem, uberioremque descriptionem *Sprengelius* in *Umbell. min. cognit. p. 18. t. 3. f. 6.* jam dederat; cum hujus plantae optimam descriptionem in *Fl. atlantica* invenerim, *B. Fontanesii* nomine in indice citato evulgavi. Sed inde cum opus Cl. *Reichembachii* » *plantae criticae* ec. » mihi datum fuit consulere, rationibus a *Reich.* adductis bene perpensis, hujus sententiam potiori jure sequendam esse cognovi; ideoque *B. Fontanesii* meum erit *B. odontites Lin.*; et *B. odontites Smith.*, *Spreng. ec.*, erit *B. aristatum Bartlinge* et *Reich.*: nec icones harum specierum post illas *Reichembachii* denuo evulgavissem, nisi jam excusae fuissent. Tandem iconem *Columnae*, et inde illas *Morisonii*, *Bauhini* et *Dalechampii*, ad sequentem speciem pro-

cul dubio spectare ex plantis lectis eodem loco a *Columna* indicato certus sum.

BUPLEURUM *ARISTATUM*. *Bartlinge* (ex *Reich.*)

B. involucris involucellisque ovato-lanceolatis aristato-cuspidatis (virentibus) opacis, umbellularum radiis brevibus aequalibus, fructibus subtetragonis levibus sulcatis. *Reich. pl. cr. cent. 2. p. 70*, cum synonymis.

Odontites luteola. *Spr.* in *R. S. s. veg. 6. p. 380.* excluso synonymo *Jacquini. Spr. s. veg. 1. p. 882.* excluso synonymo *Smithii* (*B. glumac.*)

Ic. *nostra t. 23. f. 1.*

Perfoliata minima, Bupleuri folio. *Column. ecphr. 1. p. 84. t. 247! Moris. hist. 3. s. 9. t. 12. f. 7.!*

Odontites lutea. *Dalech. hist. 1068*, figura mala.

O. lutea Valerandi et Dalechampii. *Bauh. hist. 3. p. 201!*

b. caule graciliore, foliis angustioribus, involucellis minoribus, nervis margineque scabriusculis ibique membranaceis.

Ic. *Reich. l. c. t. 178. f. 311. Spr. umb. min. cognit. p. 18. t. 3. f. 5.*

Inter segetes vel in collibus herbidis, interque fruticeta totius Regni, praesertim in submontosis. Varietas *b.* in collibus aridissimis Calabriae orientalis; *Cassano*, *Amendolara*.

Aprili, Majo. ⊙

Varietas *b.*, *habitu* graciliore, *foliis* angustioribus, *involucris* ac *involucellis* longitudine latitudineque minoribus *nervis* magis prominulis sed *venis* obliteratis, a varietate *a.* nonnihil recedit; tamen pedunculi et semina in utrisque similia.

B. glumaceum, quod Calabriae indigenum dicit *Reich. l. c. p. 71.* ibi non vidi.

BUPLEURUM *SEMICOMPOSITUM*. *Lin.*

B. foliis radicalibus caulinisque inferioribus spathulatis, umbellis terminalibus 3-5-radiatis, lateralibus incompletis, involucellis angustis lanceolato-cuspidatis integris flores fructusque superantibus, fructibus granulatis ecostatis. *Lin. sp. pl. 342. Will. sp. pl. 1. p. 1373. Lam. dict. enc. 1. p. 519. Pers. syn. 1. p. 304. Spr. s. veg. 1. p. 882. Ten. fl. nap. pr. p. 18.*

Odontites semicomposita. *R. S. s. veg. 6. p. 381.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 261. Gou. ill. t. 7. f. 1. Reich. pl. cr. t. 183. f. 320*, et *321.*

In collibus aridis Japygiae; *Otranto.*

Majo, Junio. ☉

BUPLEURUM *GLAUCUM*. *Dec.*

B. caule ramoso exili erecto vel diffuso, foliis lanceolato-linearibus glaucis inferioribus recurvis, involucri 5-phylli foliolis linearibus, involucellis lanceolato-cuspidatis denticulatis flore fructuque lon-

*

[illegible] fructibus granulatis ecostatis. *Dec. fl. fr.* [illegible] *Spr. s. veg. 1. p. 882. Reich. pl. cr.* [illegible]

Moutites glauca. *R. S. s. veg. 6. p. 383.*

Ic. *nostra t. 23. f. 2. Reich. l. c. t. 183. f. 322.*

In collibus aridis maritimis Calabriae orientalis, *Cappellaro, Cassano, Trebisacce, Amendolara;* Japygiae, *Taranto, Monopoli, Leuca, Mola.*

Aprili, Majo. ⊙

Caules bipollicares vel palmares, subflexuosi, ramosi; *ramis* erectis, patentibus vel diffusis, glaberrimis, levibus. *Folia* inferiora semper recurva et fere falcata, vix lin. lata, pollicem vel sesquipollicem longa, levia. *Umbellae* laterales saepius incompletae, ut in *B. tenuissimo*, cui affine. Etiam *B. semicomposito* proximum ob fructus ecostatos, et albo-granulatos; sed foliis inferioribus linearibus, non spathulatis ut in illo, et involucelli foliolis denticulatis recedit. Confer Cl. *Reich. l. c.*

BUPLEURUM *CERNUUM*. *Ten.*

B. caule erecto, foliis linearibus acutis 5-nervis (2-3 lin. latis), involucris subtriphyllis lanceolatis inaequalibus, umbellae 5-9-radiatae radiis elongatis valde brevioribus, involucellis 5-phyllis lineari-lanceolatis acuminatis, fructibus compresso-tetragonis levibus costatis. *Ten. fl. nap. 1. in add. et em. p. 322. R. S. s. veg. 6. p. 374.*

B. obtusifolium. *Ten. fl. nap. pr. p. 18.*

Ic. *Ten. l. c. v. 3. t. 125.*

In herbidis saxosis montosis Samnii, *Capracotta, Monte Capraro, Monte di Mezzo;* Aprutii, *Monte Corno, Monte Intermesole, Majella, Morrone*, ec.

Julio, Augusto. ♃

Cum *B. semicomposito* male a Cl. *Spr.* conjungitur in suo *s. veg. 1. p. 882.*, sunt etenim species omnino diversae, habitu, duratione, et innumeris aliis characteribus. *B. Sibthorpiano fl. gr. 3. p. 58. t. 264.* magis affine, at differt radiorum umbellae numero, foliis viridibus non glaucis, caule non frutescente, ec.

TRAGIUM *GUSSONII. Presl.*

T. virescens, caule erecto stricto nudo apice dichotomo ramosissimo, ramis filiformibus, foliis glabris radicalibus bipinnatis, pinnulis cuneato-obovatis inciso-dentatis pinnatifidisque, caulinis obliteratis, bracteis linearibus, stylis divaricatis fructus villoso-strigosos superantibus. *Presl. del. pr. p. 126.*

Ic. Tragoselinum procerior et ramosior (*sic*), Dauci alsatici foliis imis. *Cup. panph. 1. t. 70. Bon. t. 168.*

In apricis pascuis herbidis maritimis Calabriae, *Reggio*, una cum *Seseli verticillato.*

Majo, Junio. ♃

Cl. *Spr.* in *s. veg. 1. p. 884.* sub *T. aromatico*,

Pimpinellam villosam Schous. P. anisoidem Brig., et hanc speciem refert. Sed in *T. aromatico* folia simpliciter pinnata et radices biennes, dum in nostra folia bipinnata ac radices perennes. A *P. villosa* differt glabritie omnium partium; et forsan *P. bubonoides Brot.* (*T. Broteri Spr. l. c.*) nostrae quoque proxima, sed nec folia radicalia amplissima, nec caulina media alterna composita. Denique haec species *Pimpinellae anisoidi*, *Briganti* prae caeteris valde affinis, ita ut quondam pro hac habuerim, et inde sub hoc nomine semina ac exemplaria exsiccata nonnullis exteris botanicis communicaverim; sed in *T. Gussonii*, *caulis* semper dichotomus; *umbellae radii* 4-5; *fructus* griseo-villosi; *styli* divaricato-reflexi, *stigmatibus* capitatis: dum in *P. anisoide*, *caulis* dichotomus vel ramis aliquando ternis (semiverticillatis); *umbellae* radii 5-7; *fructus* glaberrimi, virentes; *styli* erecto-patentes, *stigmatibus* vix incrassatis.

Sison *flexuosum*. *Ten.*

S. foliis uniformibus bipinnatis, foliolis cuneiformibus trifidis, laciniis angustis linearibus acutis, caule divaricato flexuoso, involucris involucellisque polyphyllis, seminibus oblongis. *Ten. fl. nap. pr. supp. 2. p. 67. R. S. s. veg. 6. p. 412. Spr. s. veg. 1. p. 887.*

Ic. *Ten. l. c. v. 3. t. 127.*

In rupibus herbidis elatioribus montium Aprutii, *Majella*, *Morrone*, *Monte S. Franco*, *Monte Costone*, *Monte Corno*, ec.; Samnii a *Capracotta*.

Julio, Augusto. ♂, 2ℓ

Planta laete virens, undique glaberrima. *Radix* aromatica, gracilis, fusiformis, intus fere spongiosa, externe fusca. *Caules* graciles, leves, vix obsolete striati, fistulosi, 2-10 poll. longi, diametro lineari, divaricati, apice erectiusculi. *Foliola* fere setacea, subverticillata. *Vaginae* striatae, laxae, margine subscariosae. *Umbellae* depauperatae, *radiis* valde inaequalibus, rectis vel parum incurvis. *Involucri* foliola ex lanceolata basi linearia, apice setaceo-attenuata, saepius recurva, basi utrinque albido-scariosa, radiis duplo breviora, 3-4 lin. longa. *Involucella* involucro similia, sed breviora. *Flores* centrales umbellularum steriles, reliqui fertiles, omnes pallide virentes. *Fructus* oblongo-lineares, glaberrimi, costis prominulis, 2-3 lin. longi, valde aromatici, ita ut apud incolas pro seminibus *M. cretici* venditentur.

MEUM *PIPERATUM*. *R. S.*

M. caule erecto elongato basi suffrutescente, foliolis radicalibus abbreviatis filiformibus rigidiusculis, caulinis brevissimis crassiusculis rigidis subpungentibus, fructibus oblongis acute costatis. *R. S. s. veg. 6. p. 435.*

Anethum piperatum. *Ucria pl. ad Lin. opus add. p. 250, n. 6. Bertol. am. it. p. 21.*

Ic. Foeniculum asininum foliis crispis, sive Millefolii, graveolens. *Cup. panph. sic. 1. t. 117.*

In collibus aridis maritimis Calabriae orientalis, *Brancaleone, Siderno, Stalattì, S. Leonardo, Cotrone, Amendolara;* Lucaniae, *Policoro;* Japygiae *Massafra, Castellaneta.*

Junio, Julio. 2

Cl. *Sprengel* in *R. S. l. c.* hanc speciem uti a *M. foeniculo* diversam enumerat; sed postea in suo *s. veg. 1. p. 891.* cum illa immerito conjungit; nam habitus totius plantae, sapor fervidus seminum, et foliola brevia fere aciformia a *M. foeniculo* evidenter aliena sunt.

AETHUSA *CYNAPIOIDES. Marsch.*

A foliolis omnibus pinnatifidis, involucellis setaceis patentibus longitudine umbellulae. *Marsch. fl. taur. cauc. 1. p. 227,* et *3. p. 233. Hoffm. umbell. ed. 2. v. 1. p. 98,* et *205.*

Ic. *Hoffm. l. c. t. 1. f. 9.*

Ad sepes in montosis Aprutii; *Pietra Camela, s. Nicola sotto Monte Corno.*

Julio, Augusto. ⊙

Specimina austriaca *A. cynapii* ab hac nostra habitu, aliisque characteribus omnino discrepant; proinde Cl. *Sprengelio,* qui in *R. S. s. veg. 6. p. 456,*

et in suo *s. veg. 1. p. 894*, has duas species inter se non differre existimat, assentiri nequeo. Equidem in *A. cynapioide*, *caulis* elatior, magis foliosus; *petioli* partiales duplo longiores; *pedunculi* breves minusque divaricati; *involucella* setacea umbellulis aequalia non longiora, erecta vel patentia, at minime deflexa; *fructus* pedunculo aequales, fere leves, non breviores ac profundius sulcati.

CACHRYS *SICULA. Lin.*

C. foliis supradecompositis, foliolis trifidis carinatis rigidis margine carinaque scabris divaricatis, involucro utroque polyphyllo, fructibus sulcatis cristato-asperis. *Lin. sp. pl. 355. Will. sp. pl. 1. p. 1410. Lam. dic. enc. 1. p. 259. Pers. syn. 1. p. 311. R. S. s. veg. 6. p. 446. Spr. s. veg. 1. p. 892. Ten. fl. nap. pr. p. 19.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 78.*

Hyppomarathrum siculum. *Bocc. sic. t. 18.*

C. semine fungoso sulcato aspero minore, foliis Peucedani. *Moris. hist. 3. s. 9. t. 1. f. 3.*

b. seminibus levibus.

Ic. C. semine fungoso sulcato plano minore, foliis Peucedani. *Moris. l. c. f. 6?*

In arenosis maritimis Calabriae orientalis, Lucaniae, Japygiae, Peucetiae, Dauniae.

Majo Junio. ♃

Cl. *Marschal* in *fl. taur. cauc. 1. p. 218.* sub

sua *C. microcarpa* iconem *Morisonii s. 9. t. 1. f. 3.* transfert, quae a *Linnaeo*, *Willdenovio*, *Lamarkio*, aliisque sub *C. sicula* refertur. *Morisonius* in *hist. 3. p. 267.* notat *f. 3. t. 1.* ad plantam siculam, et *f. 6.* ejusdem tabulae ad plantam *Barbariae* indigenam spectare; quae *f. 6.* ad *C. libanotidem* refertur ab omnibus. At ni fallor mihi videtur: 1.°, quod *f. 3. Morisonii l. c.* a *C. microcarpa* sit excludenda, et ad *C. siculam* certo certius denuo amandanda, cum *C. sicula* et non *C. microcarpa* in Sicilia proveniat: 2.°, quod *f. 6.* ad *C. siculam* pariter referenda sit, nam haec icon ab illis *Lobelii*, *Dodonaei*, *Dalechampii*, *Bauhini*, ec. sub *C. libanotide* citatis omnino recedit, dum *C. siculae* est omnino similis; nec obstat quod *Morisonius* fructus leves in icone repraesentet, quia *C. sicula*, uti jam notavit Cl. *Sibth.* in *fl. gr. 1. p. 71.* insigniter variat fructibus levibus vel asperis, foliis longioribus vel brevioribus, ita ut ipse *Morisonius* in tabula citata inter *f. 3.* et *f. 6.* folium radicale unicum pro utraque specie repraesentet, dicatque in descriptione » *utriusque folium Peucedani instar.* »

CAPNOPHYLLUM *DICHOTOMUM*. *Lagasca.*

C. caule dichotomo erecto striato, foliis tripinnatis, foliolis pinnatifidis, laciniis linearibus acutis, fructibus margine lamellato-plicatis (tuberculatis *Poir.*) *Lag. nov. gen. p. 13.*

Cachrys dichotoma. *R. S. s. veg. 6. p. 445. Spr. s. veg. 1. p. 892.*

Conium dichotomum. *Desf. atl. 1. p. 246. Pers. syn. 1. p. 308. Will. en. H. Ber. 1. p. 315.*

Cicuta dichotoma. *Poir. Dic. enc. sup. 2. p. 261.*

Tordylium peregrinum. *Lin. mant. p. 55. Will. sp. pl. 1. p. 1381. Pers. syn. 1. p. 314. Poir. dict. enc. 7. p. 710.*

Ic. *Desf. l. c. t. 66.*

Caucalis hispanica. *Camer. hort. t. 11.*

In agris argilloso-calcareis pinguibus Calabriae orientalis, *Melito*, *Brancaleone*, *Roccella*, *Catanzaro*, *Cotrone*, *Montegiordano*; Lucaniae, *Policoro*, *presso il fiume Basente*; Japygiae, *Manduria*, *Avetrana*; Dauniae, *presso Foggia a Tresanti*, *alla Monica.*

Majo, Junio. ⊙

Caulis in agris siccis vix palmaris, sed in humentibus fere sesquipedalis; *ramis* plus vel minus divaricatis. *Costae* in fructibus perfectis muricato-denticulatae, hinc potius ad hoc genus, quam ad *Cachridem spectat*, praesertim cum fructus non sint cortice fungoso praediti. Inspectis quamplurimis speciminibus, nullum superest mihi dubium *Tordylium peregrinum Lin.*, et *Conium dichotomum Desf.* inter se non differre.

TORDYLIUM *OFFICINALE. Lin.*

T. caule erecto basi hispido superne muricato-scabro, foliis molliter pubescentibus pinnatis, foliolis subrotundis lobato-crenatis extima majore oblonga vel oblongo-lanceolata, involucellis flores subexcedentibus involucrisque ciliatis lineari-setaceis, petalis radiantibus inaequalibus geminis, fructibus (parvis) ovalibus. *Lin. sp. pl. 345. Will. sp. pl. 1. p. 1381. Pers. syn. 1. p. 314. Poir. dict. enc. 7. p. 709. R. S. s. veg. 6. p. 460. Spr. s. veg. 1. p. 895. Sibth. fl. gr. 3. p. 60. Ten. fl. nap. pr. p. 19.*

Ic. *Sibth. l. c. t. 267. Portenschlag ic. pl. dalm. t. 3!*

Tordylium minimum apulum. *Column. ecphr. 1. t. 124! Moris. hist. 3. s. 9. t. 16. f. 6.*

In collibus et campis aridis Calabriae orientalis, *Capo Colonna;* Japygiae, *Otranto, Taranto, Tricase;* Dauniae, *Cirignola,* una cum *T. apulo.*

Aprili, Majo. ⊙

Caulis striatus, ramosus, palmaris, vel sesquipedalis, setis retroflexis basi hispidus. *Foliorum* vaginae et *petioli* striati, hirsuto-pubescentes. *Involucri* foliola 5-6 lin. longa, post anthesin deflexa. *Involucella* ejusdem fere longitudinis, semper erecto-patentia et flores apud nos vel excedentia, vel aequantia, aut in campis fertilibus petalis radiantibus breviora. *Umbellarum radii externi* hispido-scabri, striati, subteretes, 2-6 lin. longi; *umbellularum*

breviores, pilosi. *Flores* exteriores radiantes; *petalis* duobus extimis majoribus, petalum unicum late bilobum simulantibus. *Fructus* in genere parvi, vix lineam longi et lati; margine tumido, albido, eleganter crenato; disco plano, muricato-hirto, nervis tribus notato.

Icones *Columnae* et *Morisonii l. c.* ex observatione Cl. *Smitii*, ad hanc speciem, et minime ad *T. apulum* spectant.

DAUCUS *AUREUS. Desf.*

D. caule erecto dichotomo superne petiolisque setis patentibus hirtis, foliis (laete virentibus) supra-decompositis glabriusculis, foliolis pinnatifidis linearibus, involucro decomposito reflexo umbellas subaequante, fructuum aculeis glochidiatis flavescentibus. *Desf. atl. 1. p. 242. Pers. syn. 1. p. 307. R. S. s. veg. 6. p. 479. Spr. s. veg. 1. p. 897*, et *umbell. min. cognit. p. 144. Poir. dict. enc. supp. 2. p. 117.*

Ic. *Desf. l. c. t. 61.*

Inter segetes in arvis argillosis Calabriae orientalis; *da Melito a Siderno, S. Leonardo, Cassano, Francavilla.*

Aprili, Majo. ⊙

Flores albi!, at aurei in plantis exsiccatis evadunt. Fructuum *aculei* lineares, basi non dilatati, demum flavescentes.

DAUCUS *MURICATUS. Lin.*

D. hispidus, foliis tripinnatis (obscure virentibus) foliolis multifidis incisis, involucro subbipintatifido demum reflexo umbellae radiis breviore, aculeis fructuum glochidiatis basi dilatatis argenteis, setis brevioribus intermixtis. *Lin. sp. pl. 344*, excl. var. *b. Will. sp. pl. 1. 1392*, excl. syn. *Bauh.* et *Columnae. Lam. dict. enc. 1. p. 635. Pers. syn. 1. p. 301. R. S. s. veg. 6. p. 477. Spr. s. veg. 1. p. 897. Ten. fl. nap. pr. p. 18.*

Ic. Caucalis arvensis carotae foliis, floribus albis, umbella echinata contracta. *Cup. panph. 2. t. 26. Bon. t. 189.* optimae.

C. daucoides tingitana. *Moris. hist. 3. s. 9. t. 14. f. 4.* mala, quia folia nimis lata.

Inter segetes Calabriae orientalis cum praecedente eodemque tempore floret. ⊙

SCANDIX *PECTEN. b. pubescens.*

S. caule erecto foliisque pubescentibus, foliolis dorso ciliato-serratis, pedunculis erectis glabriusculis, involucri foliolis integris bidentatisve, dentibus ciliatis aristatis.

Ic. *nulla.*

Inter segetes Calabriae orientalis, *Reggio, Melito.*

Aprili, Majo. ⊙

Caules teretes, solidi, glaberrimi, inferne leves vel lineati, superne striati. *Folia* longe petiolata, foliolis bifidis vel trifidis, laciniis linearibus, acutis, margine et carina minutissime ciliatis, supra canaliculatis. *Petioli* communes et partiales glaberrimi, semiteretes, canaliculati, basi subvaginantes; *vagina* margine scariosa, albida, ciliata vel glabra. *Involucri* foliola lineari-oblonga, ciliata, nervosa, 1 ½ lin. longa, 1 lin. lata, subconcava, raro integra vel trifida, saepius bifida, laciniis acuminatis. *Flores steriles* longe pedunculati; pedunculis 4 lin. longis; *fertiles* pedunculo lineam longo, crassiore. *Corolla* petalis albis supra carinatis, apice mucronatis, duobus interioribus saepe deflexis; unico majore radiante, integro vel emarginato. *Styli* persistentes, divaricati, glabri. *Fructus* pubescentes, ad angulos vero hispidi, setulis sursum adpressis.

MYARHIS *CYNAPIOIDES*. *Nob.*

M. radice tuberosa subrotunda, caule erecto glabro ramoso aequali immaculato, foliis tripinnatis foliolis incisis, laciniis lineari-lanceolatis angustis, involucro oligophyllo deciduo.

Ic. nostra t. 24.

In vallibus montosis Aprutii locis fertilibus humo repletis, *Majella alla Valle d' Orfenta nel piano del Molino*, simul cum *Chaerophyllo hybrido*, *et magellense*, *Ligustico cuneifolio*, *Paeonia corallina*, ec.

Julio, Augusto. 4

Caulis erectus, striatus, glaberrimus, gracilis, geniculis non incrassatis; sub terra albidus, flexuosus, 1 ½-2 pedes altus, laevis. *Folia radicalia* longe-petiolata, ternato-pinnata; *petiolis* canaliculatis, flexuosis, vagina destitutis; *caulina* tripinnata subsessilia, vagina striata margine scariosa ac saepius ciliata laxiuscula instructa; omnia glaberrima, foliolis cuneiformi-oblongis incisis, laciniis acuminatis vix ½ latis, 3-6 lin. longis, integris, sub lente tenuissime ciliato-scabris. *Involucrum* 1-2-phyllum, deciduum vel nullum, foliolis brevissimis ovato-lanceolatis; *involucella* patentia, umbellulas aequantia vel parum longiora, linearia, vel lanceolato-cuspidata, carinata, glabra. *Flores* albi. *Umbellae* terminales vel oppositi-foliae, pedunculatae, pedunculis 1-2 pollices longis; *radiis* 8-10, striatis, glabris. *Fructus* cylindrici, glaberrimi, striati, 2 lin. longi, *stylis* persistentibus divaricatis coronati.

A *M. pyrenaea* et *M. Bunio* omnino diversa.

AMMI *CRINITUM*. *Nob.*

A. caule tereti striato inferne glaberrimo superne setis sparsis hispido, foliis supradecompositis, foliolis lineari-setaceis acutis, petiolis subhispidis, vaginis latis membranaceis margine albido-scariosis, involucris multifidis reflexis, umbellularum radiis exterioribus elongatis.

Ic. *nostra t. 25.*

Inter segetes et in arvis argillosis Calabriae orientalis; *Catanzaro presso il fiume Tacina, S. Leonardo, Cassano, Francavilla.*

Majo, Junio. ⊙, ♂

Habitus A. Visnagae, sed altior et *foliola* tenuiora, magis flaccida, obscuriora; *floresque* post exsiccationem lutei, ut in *Dauco aureo;* qui in *A. visnaga* semper albi, ut in *Dauco muricato. Caulis* erectus, strictus, ramosus, 2-4-pedalis. *Petioli* canaliculati, subtus carina setulis albidis sparsis obsiti (in *A. visnaga* glaberrimi). *Foliola* setaceo-linearia, acuta, non cuspidata, glabra vel hinc inde ciliata. *Vaginae* glaberrimae, striatae, 1-2 ½ poll. longae, laxae, ex albido-virentes, subventricosae. *Pedunculi* elongati, caulibus similes, virides, vel sub anthesi purpurascentes, apice aliquando setulis brevibus instructi. *Involucrum* polyphyllum, decompositum; laciniis lineari-setaceis, glabriusculis, pollicem vel sesquipollicem longis; et unicuique folii petiolum subtus striatum, ala scariosa umbellae radios fere vaginat: *involucella* involucris similia, trifida, extima longiora, floribus subaequalia. *Umbellarum radii* striati, glaberrimi, leves, recti, exteriores 2 poll. longi, interiores breviores basi rubentes: *radii umbellularum* extimi primum recti, demum apice incurvi, 5-7 lin. longi. *Flores* omnes fertiles, exteriores subradiantes. *Fructus* glaberrimi, fere tetragoni, substriati, albidi. *Stylus* deciduus.

A. anethifolio Lam., nunc *Torilis crinita Spr. s. veg. 1. p. 899*, quoad foliorum descriptionem simile; at fructu et inde genere omnino diversum.

BRIGNOLIA *PASTINACAEFOLIA. Bertol.*

B. foliis pinnatis, foliolis oblique cordatis subauriculatis dentato-mucronatis, umbellis terminalibus rigidis ante anthesim cernuis, fructibus persistentibus, floribus luteis. *Bertol. am. it. p. 97.*

Sium siculum. *Lin. sp. pl. 362. Will. sp. pl. 1. p. 1438. Pers. syn. 1. p. 316. R. S. s. veg. 6. p. 537. Spr. s. veg. 1. p. 905.*

Ligusticum balearicum. *Lin. mant. 218.*

Ic. *Sebast. et Maur. fasc. pl. rom. 2. t. 2.*

Seseli subrotundo selini folio. *Barr. ic. 241.*

Daucus pastinacaefolio siculus. *Zan. hist. t. 128.*

In argillosis collibus, et campis mari finitimis Calabriae orientalis, *Reggio*, *Capo Brazzano*, *Capo Colonna*, *Crucoli*, *Montegiordano*; Japygiae, *Brindisi*; Dauniae, *Foggia*, *Incoronata*, *Cirignola.*

Majo, Junio. ♃

LIGUSTICUM *CUNEIFOLIUM. Nob.*

L. caule ramoso, foliis tripinnatis nitidis, foliolis pinnatifidis, laciniis abbreviatis cuneiformibus trifidis obtusis aristatis approximatis, involucro polyphyllo persistenti, fructibus ovalibus glabris,

Ic. *nostra t. 26.*

In vallibus montosis locis apricis humoque repletis, *Majella nella Valle di Orfenta al piano del molino, e nella Valle dell' inferno; Morrone alla discesa della Mucchia verso Caramanico, e nella valle Malacupa verso Sulmona.*

Augusto, Septembri. ♃

Radix crassa, fusiformis, aromatica, prope collum fibris innumeris vaginarum exsiccarum dense stipata, quo falso charactere decepti populares herbarii pro *Athamanta cretica* illam venditant. *Caulis* erectus, striatus, glaberrimus, 1 ½ ad 2 pedes altus, ramosus, ramis approximatis. *Folia* circumscriptione ovata, palmaria vel pedalia; laciniis planis, nervosis, margine et subtus ad nervos denticulato-scabris, lin. longis, ½ latis, semper obtusis apiceque mucronatis, superioribus 2 lin. longis. *Vaginae* striatae, glaberrimae, radicales margine scariosae, superiores laxae margine membranaceae. *Petioli* canaliculati, striati, glaberrimi, leves; secundarii a medio non divaricati, sed potius approximati. *Rami* floriferi sub umbella primaria oppositi vel verticillati, illa breviores. *Flores* albi, omnes fertiles; *petalis* subaequalibus, ob apicem inflexum emarginatis. *Styli* saepe persistentes, in fructu reflexi; *stigmate* subcapitato. *Stylopodium* albidum, pyramidatum. *Involucrum universale* polyphyllum; foliolis linearilanceolatis, integris, 3-10 lin. longis, persistentibus: *partiale* foliolis lineari-setaceis, umbellula breviori-

*

bus subcarinatis, acutis, integris, 2-3 lin. longis, basi margine membranaceis albidis. *Umbellarum radii* numerosi, glabri, scabriusculi aut leves, basi striati, apicem versus striato-angulati, angulis denticulatis, in fructu subcontracti; exteriores 2-2 ½ poll. longi, centrales vix pollicares: *umbellularum radii* externi elongati, 5-6 lin. longi, reliqui duplo minores; omnes glabri, substriati, primum patentes, demum contracti. *Fructus* ovalis, solidus, glaber, 2 lin. longus, costis 5 subalatis, quo charactere potius *Cnidiis* spectaret.

Affinis *Ligustico pyrenaeo Gou.*

LIGUSTICUM *HACQUETII.*

L. caule glaberrimo striato subramoso, foliis ternato-pinnatis glaberrimis, foliolis pinnatifidis basi decurrentibus, laciniis cuneiformi-oblongis inciso-dentatis acutis, involucri foliolis ovali-lanceolatis integris persistentibus, umbellis omnibus fertilibus, fructibus ovalibus glabris.

Ic. Athamantha Golaka. *Hacq. pl. carn. t. 5.*

In vallibus montium Aprutii inter saxorum rimas, *Monte Intermèsole, Monte Corno, Majella, Morrone.*

Julio, Augusto. 2ℓ

Folia fere omnia radicalia, aliquando biternata, glaberrima, laete virentia, subtus pallidiora venoso-reticulata; laciniis 1-2 lin. latis, 5-8 lin. longis, mar-

gine levibus. *Umbella* in fructu ut in praecedente subcontracta. *Involucella* lineari-lanceolata, 2-3 lin. longa, radiis exterioribus duplo breviora, virentia, patentia, demum saepius reflexa. *Flores* centrales umbellularum masculi, brevius pedunculati. *Fructus* ovatus, solidus, costis quinque elevatis. Ex indicatis characteribus synonymon *Hacquetii* sub L. *peloponnesiaco* immerito a Cl. *Sprengelio* in *R. S. s. veg. 6. p. 548* refertur.

HERACLEUM *ORSINI*. *Nob.*

H. caule sulcato subsimplici muricato-scabro, foliis simplicibus cordatis utrinque glabris subcoriaceis integris obtuse lobatis tripartitisque margine irregulariter crenato-serratis; lobis acuminatis, floribus (virescentibus) subradiantibus, seminibus obovatis, stylis persistentibus, involucellis linearibus.

Ic. *nostra t. 27.*

In glareosis elatioribus montium Aprutii, *Monte Costone al canale delle Capezze*, *Monte Corno a Campo aprico*, ubi jam invenerat amicissimus *Orsini*.

Julio, Augusto. ♃

Caules erecti, simplices, superne ramosi, 2-3-pedales. *Folia* ampla, diametro circiter sesquipedali, superne levia laete et lucide virentia, subtus pallidiora ac ad nervos scabra et hirsutiuscula. *Umbella* centralis reliquis brevior. *Involucrum* nullum vel

monophyllum, lineare, pollicem longum : *involucella* linearia, margine ciliata. *Radii* striati, scabriusculi, 2-3 pollices longi. *Flores* virescentes, vix radiantes; non albi, et valde radiantes, ut in *H. alpino*, cui caeterum affine. *Fructus* glabri, 5-6 lin. lati longique, nervias 5-6 a basi ad apicem decurrentibus vittis 3-4 dorsalibus ac duabus commissuralibus clavatis.

THAPSIA *GARGANICA. Lin.*

T. caule tereti glabro, petiolis hirsutis, foliis 2-3-pinnatis superne nitidis, foliolis bipinnatifidis subdecussatis, laciniis linearibus acutis integerrimis, involucro nullo, fructibus subrotundis basi sinu exciso. *Lin. mant. 57. Will. sp pl. 1. p. 1465. Pers. syn. 1. p. 322. Poir. dict. enc. 7. p. 610. R. S. s. veg. 6. p. 641. Spr. s. veg. 1. p. 917. Ten. fl. nap. 1. p. 131.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 147. Gou. ill. t. 10.*

Thapsia latifoglia. *Imperat. hist. p. 670.*

In collibus aridis calcareis et arenosis maritimis Jonii ac Adriatici ad radices Gargani.

Majo, Junio. ♃

IMPERATORIA *CHABRAEI. Spr.*

I. caule teretiusculo striato, vaginis foliorum elongatis flaccidis, foliis bipinnatifidis, foliolis linea-

ribus acuminatis, inferiorum subdecussatis breviter petiolatis multipartitis, superiorum simplicissimis. *R. S. s. veg. 6. p. 609. Spr. s. veg. 1. p. 916.*

Selinum Chabraei. *Will. sp. pl. 1. p. 1399. Pers. syn. 1. p. 309. Poir. dict. enc. 7. p. 66. Ten. fl. nap. pr. supp. 4. p. 6.*

Ic. *Jacq. austr. t. 72.*

Selinum carvifolia. *Crantz. austr. fasc. 3. t. 3. f. 2.*

In pascuis submontosis et ad sepes Samnii, *a monte Capraro*; Aprutii, *Aquila a S. Demetrio, Pietra Camela, Majella.*

Julio, Augusto. 4

Flores albi. *Umbella* fructifera contracta.

LASERPITIUM *GALLICUM. Lin.*

L. caule tereti ramoso glabro, ramis patentibus, foliis supradecompositis lucidis, foliolis divaricatis cuneiformibus latiusculis trifidis, laciniis oblongis obtusis apice calloso-mucronatis. *Lin. sp. pl. 357. Will. sp. pl. 1. p. 1415. Pers. syn. 1. p. 312. Lam. dict. enc. 3. p. 424. R. S. s. veg. 6. p. 1624. Spr. s. veg. 1. p. 919*, et *Umbell. min. cognit. p. 34. Ten. fl. nap. pr. supp. 4. p. 7.*

Ic. Laserpitium sylphaeum. *Lob. ic. 702.*

L. massilioticum. *Taber. 211;* mediocris.

L. Penae. *Dalech. hist. 731.* ic. ex *Taber.*

L. lobis angustioribus, saturate virentibus.

Moris. hist. 3. s. 9. t. 19. f. 8, mala quoad folia.

L. e regione Massiliae allatum. *Bauh. hist. 3. p. 137;* omnium melior.

L. lobis angustioribus lucidis, saturate virentibus. *Plukn. phyt. t. 198. f. 5.*

Ad radices montium Aprutii in argillosis, *Pietra Carmela*; et in monte *Vettore* (*Orsini*).

Iulio Augusto. 4

Foliola cuneiformia, 2-5 lin. lata; ideoque icones superius citatae nostram plantam exacte referunt quoad illarum latitudinem; at icones *Lam. ill. t. 199; Laserpitio Lobelii similis angustifolio, Bauh. hist. 3. p. 137.* (a *Will.* ad *L. angustissimum*, at a *Spr.* in *R. S. l. c.* denuo ad hanc speciem relata), et *Laserpitium lobis angustioribus, longioribus et dilute virentibus plurifariam divisis, Plukn. phyt. t. 198. f. 6*, speciminibus gallicis magis similes sunt.

LASERPITIUM *MEOIDES. Desf.*

L. caule tereti glabro, petiolis hispidis, foliis tripinnatis, foliolis setaceo-multifidis abbreviatis confertis numerosissimis, umbellis lateralibus altioribus, involucris linearibus, floribus luteis, seminibus late alatis. *Desf. atl. 1. p. 253. Pers. syn. 1. p. 313. R. S. s. veg. 6. p. 626. Spr. s. veg. 1. p. 919.*

Ic. *Desf. l. c. t. 69.*

In collibus herbidis apricis vel subumbrosis Ca-

labriae, *Reggio*; Japygiae, *Castellaneta*, *Massafra*, *Torre a mare*, sed rarum.

Septembri, Octobri. ♃

Habitus omnino *Thapsiae Asclepiadi*, cum qua ante florescentiam facillime confunditur; sed abunde distinctum, florendi tempore, involucrorum praesentia, fructibus, et foliis amplioribus ac hirsutioribus.

PENTANDRA-TRIGYNIA.

RHUS *CORIARIA*. *Lin.*

R. foliis pinnatis, foliolis elliptico-oblongis obtusis inaequaliter obtuseque dentatis supra scabris subtus villosis, petiolo communi internodiis extimis alatis, panicula thyrsoidea. *Lin. sp. pl. 379. Will. sp. pl. 1. p. 1477. Poir. dict. enc. 7. p. 501. Pers. syn. 1. p. 324. R. S. s. veg. 6. p. 643. Spr. s. veg. 1. p. 936. Ten. fl. nap. pr. p. 20.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 290. Duham. arb. ad. nov. v. 2. t. 46.*

Rhus. *Matth. comm. p. 195.*

In collibus aridis calcareis meridiem spectantibus Japygiae, *a Tricase*; Aprutii, *Pacentro alle falde meridionali del Morrone.*

Majo, Junio. ♄

TAMARIX *AFRICANA. Desf.*

T. bracteis pedicello duplo longioribus, spicis lateralibus solitariis crassis abbreviatis, foliis ovato-lanceolatis apice membranaceis amplexicaulibus. *Desf. atl. 1. p. 269. Poir. dict. enc. 7. p. 564,* et *it. p. 139. Will. sp. pl. 1. p. 1498. Pers. syn. 1. p. 328. R. S. s. veg. 1. p. 670. Spr. s. veg. 1. p. 943. Ten. fl. nap. pr. p. 20.*

Ic. *nulla.*

In inundatis maritimis et ad torrentium margines Calabriae orientalis, *Reggio, Corigiano, Cassano*; Lucaniae, *fiume Basente, Policoro;* Dauniae, *sponde dell' Ofanto.*

Aprili, Majo. ♄

Folia brevia, adpressa, glabra, glaucescentia, basi gibba, acuta, concava, integerrima, margine apicem versus albido-cartilaginea. *Spicae* subsessiles, cylindraceae, *T. gallicae* fere duplo crassiores, pollicares, *Bracteae* membranaceae, ovatae, acutae, concavae, glabrae, virides, vix semilineam longae, basi quandoque uno latere dentatae, albidae, calyce longiores vel aequales, basi pedunculorum imbricatae. *Pedicelli* brevissimi, vix semilineares. *Calyx* glaberrimus, corolla dimidio brevior, vix semilinearis, quinquepartitus, laciniis acutis vel obtusis, apicem versus margine albido-membranaceis, dorso saepius carinatis. *Corolla* alba, petalis linearibus, planis, integris, obtusis, extra calycem patentibus vel reflexis,

1 ½ lin. longis, vix lin. latis. *Stamina* quinque; *filamentis* albis, sub anthesi corolla longioribus; *antheris* roseis. *Pistillum*, *styli* tres recurvi (non *stylus* unus trifidus). *Capsulae* ovato-lanceolatae, glabrae.

Planta 4-8-pedalis, dum quovis anno rami oeconomicis usibus caeduntur; at dum intacta remanet, ac in solo fertili vegetat, tum truncus altitudinem 15-20 ped., diametrumque sesquipedalem et ultra acquirit.

PENTANDRIA - PENTAGYNIA.

STATICE *SINUATA. Lin.*

S. caule ancipiti alato, foliis radicalibus sinuato-lyratis, caulinis linearibus integris, calycibus elongatis obtusissimis. *Lin. sp. pl. 396. Will. sp. pl. 1. p. 1531. Pers. syn. 1. p. 340. Poir. dict. enc. 7. p. 408. R. S. s. veg. 6. p. 795. Spr. s. veg. 1. p. 959. Ten. fl. nap. pr. p. 20.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 301.*

Limonium inciso folio, Buglossi flore. *Barr. ic. 1124.*

In collibus aridis calcareis mari proximis Calabriae orientalis, *Brancaleone*, *Gerace*, *sotto Boalino*, *Capo Colonna.*

Aprili, Majo. 4

*

SIBBALDIA *PROCUMBENS. Lin.*

S. foliis ternatis subtus pilosis, foliolis cuneatis apice tridentatis, floribus solitariis vel corymbosis, petalis lanceolatis acutis calyce brevioribus. *Lin. sp. pl. 406. Will. sp. pl. 1. p. 1567. Pers. syn. 1. p. 340. Poir. dict. enc. 7. p. 152. R. S. s. veg. 6. p. 768. Spr. s. veg. 1. p. 956. Dec. pr. s. nat. 2. p. 587.*

Ic. *Lam. ill. gen. t. 221. f. 1. Fl. dan. 32. Sturm. fl. germ. p. 1. f. 17. t. 5.*

In pascuis alpinis Aprutii ad nives deliquescentes; *Majella alla rapina, Monte Corno a Campo aprico.*

Julio, Augusto. 4

CLASSIS VI.

HEXANDRIA-MONOGYNIA.

GALANTHUS *PLICATUS. Marsch.*

G. foliis plicatis, plica utrinque margine parallela, spatha pedunculum superante. *Marsch. fl. taur. cauc. 3. p. 255.*

G. nivalis *b.* majus. *Ten. fl. nap. 1. p. 140.*

Leucojum bulbosum praecox, byzanthinum. *Clus.*

hist. 1. p. 169. Bauh. hist. 2. p. 591. Red. lil. sub *n. 200. B.*

Ic. *Clus. l. c. Red. l. c. t. 200. B.*

In sylvis depressis ad radices montium Principatus Ulterioris, ac Aprutii; Calabriae, *Reggio ai Nasiti.*

Januario, Februario. 4

STERNBERGIA *COLCHICIFLORA*. *Wald.* et *Kit.*

S. foliis linearibus obtusis lucidis obliquis, laciniis limbi corollae cuneiformi-linearibus erectis, tribus exterioribus longioribus obtusis cum acumine, interioribus acutiusculis stamina alterne longiora duplo superantibus. *Wald.*, et *Kit. pl. rar. Hung. 2. p. 172. Spr. s. veg. 2. p. 57. Marsch. fl. taur. caucas. 1. p. 261.*

Ic. *Wald.*, et *Kit. l. c. t. 159.*

Narcissus autumnalis luteus minimus. *Barr. ic. 984.*

N. autumnalis minor. *Clus. hist. 1. p. 164.*

Colchicum montanum luteum minus. *Tabern. p. 1011.*

In asperis apricis meridiem spectantibus montium calcareorum Aprutii; *all'ingresso del piano di cinque miglia presso la cappella di S. M. della portella, all'est della strada, quasi dirimpetto alla diruta taverna.*

Septembri, Octobri. 4

Flores pallide flavescentes, et apud nos vix odori. *Corollae* laciniae vix 2 lin. latae. *Spatha* monophylla, acuta. *Folia* ineunte Decembri erumpunt.

ALLIUM *MONTANUM*. *Sibth.*

A. caule folioso, foliis filiformibus semiteretibus, spatha bivalvi deflexa acuminata umbella pauciflora longiore, pedunculis subaequalibus uniformibus erectis, floribus campanulato-cylindricis, petalis obtusiusculis stamina simplicia aequantibus, germinibus hexagonis oblongis. *Sibth. fl. gr. 4. p. 16. Smith. pr. fl. gr. 1. p. 225. Spr. s. veg. 2. p. 39.*

Ic. *Sibth. l. c. t. 319.*

In montosis calcareis Aprutii, *Sulmona*, *Pacentro*, *Caramanico*, *Rajano*, *Avezzano*, *Colle Armeno*, *Aquila*, *Popoli*.

Augusto, Septembri. 4

Sequenti affine; sed *caulis* vix semipedalis foliis aequalis; *pedunculi* filiformes non capillares, minus numerosi, nec effusi; *capsulae* obcordatae, petalis persistentibus aequales; *stylus* demum exsertus.

ALLIUM *TENUIFLORUM*. *Ten.*

A. caule folioso, foliis filiformibus semiteretibus, spatha diphylla subulata umbella sublongiore, pedunculis numerosis capillaribus irregularibus effusis, flori-

bus cylindricis, petalis linearibus apice subrecurvis stamina simplicia duplo superantibus, germinibus subrotundis. *Ten. fl. nap. 1. p. 165.*

Ic. *Ten. l. c. t. 30.*

In collibus aridis calcareis Peucetiae, *Monopoli, Polignano.*

Majo, Junio. 2ℓ

Ab *A., capillari, moschato* vel *setaceo,* cum quibus a Cl. *Spr.* in *s. veg. 2. p. 401.* associatur, omnino diversum, ut non solum ex iconibus sed etiam ex speciminibus Hungaricis exsiccatis patet; nam in *A. setaceo, spatha* brevissima quadruplo circiter pedunculis brevior; *pedunculi* non effusi sed fastigiati, pauci non numerosissimi; *folia* re vera lineari-setacea, non filiformia, ec.

ALLIUM *CUPANI. Rafin.*

A. caule basi folioso gracili, foliis filiformibus semiteretibus subcanaliculatis, spatha univalvi acuminata persistente vaginante, umbella pauciflora pedunculis inaequalibus, floribus cylindricis, petalis linearibus apice subrecurvis stamina simplicia duplo superantibus, germinibus subrotundis.

Ic. Moly alpinum minus, capillaceo folio, floribus purpureo-rubris. *Cup. panph. sic. 2. t. 201.*

A. montanum capillaceo folio. *Bon. t. 60.*

In asperis montosis calcareis Aprutii meridiem

spectantibus, *a S. Nicola fra Goriano Siculi e Colle Armeno.*

Augusto, Septembri. 4

FRITILLARIA *MESSANENSIS. Rafin.*

F. caule 1-4-floro, foliis glaucis planis enerviis, radicalibus lanceolatis petiolatis, reliquis sessilibus lineari-lanceolatis, caulinis infimis oppositis superioribus alternis, floribus subumbellatis involucratis, petalis cuneiformi-obovatis obtusis marginatis. *Rafin. prec. des decouv. p. 44. n. 142. Poir. dict. enc. supp. 5. p. 683. Spr. s. veg. 1. p. 64.*

Ic. *nulla.*

In collibus herbidis et sylvaticis humidiusculis meridiem spectantibus Calabriae; *Reggio ai Nasiti* sed satis rara.

Martio, Aprili. 4

SCILLA *HYACINTHOIDES. Lin.*

S. scapo elato, foliis lineari-lanceolatis elongatis synanthiis canaliculatis, racemo multifloro cylindraceo-conico, pedunculis (coloratis) germine sesquilongioribus, bracteis brevissimis squamaeformibus. *Lin. syst. veg. 329. Will. sp. pl. 2. p. 130. Poir. dict. enc. 6. p. 740. Pers. syn. 1. p. 366. Spr. s. veg. 2. p. 68. Ten. fl. nap. 1. p. 181.*

Ic. Ornithogalum cupressinum coeruleum. *Bon. t. 21.*

Bulbus eriophorus. *Clus. hist. 1. p. 172.*

In apricis collibus, et ad sepes Calabriae; *Reggio, Gallico.*

Aprili, Majo. ♃

ASPARAGUS *ALBUS. Lin.*

A. caule fruticoso distorto, ramis striatis flexuosis recurvis, foliis fasciculatis triquetris muticis deciduis, spinis solitariis patenti-reflexis. *Lin. sp. pl. 449. Will. sp. pl. 2. p. 153. Pers. syn. 1. p. 371. Lam. dict. enc. 1. p. 236. Spr. s. veg. 2. p. 94. Ten. fl. nap. pr. supp. 2. p. 67.*

Ic. Corruda tertia. *Clus. hist. 1. p. 178.*

In collibus aridis calcareis maritimis Calabriae orientalis; *Reggio, Capo dell' armi, Spartivento, Siderno, Suverato, Catanzaro.*

Septembri, Octobri. ♃

Flores albi, fasciculati, odoratissimi.

MUSCARI *COMMUTATUM. Nob.*

M. corollis globoso-ovatis distinctis omnibus pedunculatis subuniformibus apice denticulatis, denticulis inflexis connivèntibus, racemo brevissimo, foliis linearibus canaliculatis laxis.

Ic. *nulla.*

In campis herbidis maritimis Dauniae.

Martio, Aprili. 4

Folia semipedalia et ultra, 1-1 ½ lin. lata, flaccida; superne pallidiora, canaliculata; subtus intensius virentia, striata, convexa; margine aliquando subciliata. *Pedunculi*, uti pars suprema caulis, amethystini, lineam longi, *bractea* setacea brevissima suffulti. *Flores* inodori, circiter 20. *Corollae* atro-coeruleae, basi sub anthesi amethystinae, oblongae, sulcatae, 2 lin. longae; apice angulatae, obtuse 6-dentatae, dentibus inflexis et conniventibus; ideoque ore clausis, non perviis ut in *M. racemoso*: superiores aliquando abortivae. *Stamina* brevissima, alterna minora. *Germen* ovatum et pistillum albidum. *Pistillum* germini aequale, staminibus brevius. *Capsulae* obcordatae, profundae emarginatae.

Differt a *M. racemoso*, foliis linearibus canaliculatis non junciformibus sulco exaratis; corollis clausis non perviis. A. *M. parvifloro*, pro quo habui, omnino diversum, ut Cl. *Richard* comparatis speciminibus herbarii *Desf.* me monuit.

AGAVE *AMERICANA. Lin.*

A. acaulis, foliis glaucis dentato-spinosis, scapo ramoso, tubo corollae in medio angustato, staminibus corollam excedentibus, stylo staminibus aequali demum longiore. *Lin. sp. pl. 461. Lam. dict. enc. 1. p. 52. Pers. syn. 1. p. 379. Spr. s. veg. 2. p. 78. Ten. fl. nap. 1. p. 188.*

Ic. *Balmis de Agave, p. 295. t. 1;* mala quoad scapum.

Aloe folio mucronato. *Lob. ic. 374.*

In Calabria orientali, in Japygia, nec non in aliis regionibus maritimis hujus regni ad sepes extruendas nunc indigena.

Junio, Julio. ♃

Capsulae oblongae, subtrigonae, 2-pollicares, acutae; *semina* nigra, compressa, semiorbicularia.

Quamquam haec species in nostris regionibus mediterraneis sit ubique obvia, tamen inter alias enumerandam esse putavi, ut multiplices oeconomici usus, quos in Calabria et in Japygia habet, magis cognoscantur; pro quibus in aridis ac sterilissimis collibus illarum regionum prae *Phormio tenaci*, solis ardentissimi impatienti, et in siccis haud bene provenienti, utilior certe est. Sepes impenetrabiles format, et luxuriose vegetat etiam in sterilissimis collibus. Scapi peracta florescentia ad tuguria contegenda inserviunt. Ex foliis fila parantur, diversis operibus textilibus, ac floribus artificialibus conficiendis idonea. In Japygia, praesertim in *Oria*, funes conficiuntur; qui tenacissimi, leves, nec madefacti rigescunt; vel diutius in aqua immersi, ut illi ex filis cannabinis contexti, sic facile marcescunt. Prope *Rhegium* Oleae, quae steriles ac aridissimos arenosos colles vestiunt, hac planta sustentantur: idcirco folia in frustula pedem vel semipedem longa scinduntur; Aprili vel ineunte Majo terra

prope radices olearum effoditur ad altitudinem 3 vel 4 pedum, ibique foliorum frustula educta terra conteguntur. Adveniente calidissima et siccissima aestiva tempestate sensim folia marcescunt, et perennem humiditatem radicibus impertiendo a nimia ariditate tuentur, simulque aptissimum alimentum praebent.

JUNCUS *MULTIFLORUS. Desf.*

J. culmo inferne nodoso folioso, foliis teretibus enodulosis, panicula terminali elongata, pedunculis inaequalibus multifariam decompositis fasciculatis, foliolis calycinis angustis aristatis conniventibus. *Desf. atl. 1. p. 313. Viviani fl. corsic. diagn. p. 5! Poir. dict. enc. supp. 3. p. 157. Meyer syn. Junc. p. 19. Spr. s. veg. 2. p. 107.*

Ic. *Desf. l. c. t. 91!*

In paludosis maritimis Japygiae, *Gallipoli;* Peucetiae *Monopoli;* Calabriae orientalis, *Cassano, Cariati.*

Majo, Junio. 2

Radix repens; *folia* fistulosa; *vaginulae* brevissimae et arcte imbricatae, etiam ad basim foliorum; *calycis* foliola lanceolata, margine apicem versus scariosa; reliqua ut in descriptione Cl. *Desf. l.c.*

JUNCUS *TRIFIDUS. Lin.*

J. culmo paucifloro foliisque canaliculatis setaceis, vaginis ciliato-fissis, calycinis foliolis subaequalibus, capsula ovata acuminata brevioribus. *Lin. sp. pl. 465. Will. sp. pl. 2. p. 208. Pers. syn. 1. p. 384. Lam. dict. enc. 3. p. 271. Meyer syn. Junc. p. 54. Spr. s. veg. 2. p. 104.*

Ic. *Jacq. obs. t. 4. f. 1. Host. gram. austr. 3. t. 85.*

J. acumine reflexo minor, trifidus. *Bauh. pr. p. 22.*

In rupibus herbidis elatioribus montium Aprutii; *Monte Corno, Monte intermesole, Monte Costone, Majella, Morrone.*

Julio, Augusto. ♃

JUNCUS *INSULANUS. Viv.*

J. culmo ramoso erecto foliis planiusculis subaequali, paniculae ramis elongatis, floribus terminalibus axillaribusque umbellato-fasciculatis, calycinis foliolis tribus exterioribus acuminatis capsulam oblongam obtusam superantibus. *Viv. fl. cors. sp. nov. diagn. p. 5.*

Ic. Gramen bufonium glomeratis utriculis. *Barr. ic. 94?*

In inundatis maritimis Calabriae orientalis; *Capo Pellaro, Melito, Acquaniti.*

Aprili, Majo. ☉

J. bufonio affinis, sed indicatis characteribus diversus, nec illius varietas est.

PEPLIS *PORTULA. Lin.*

P. floribus hexandris solitariis axillaribus subapetalis, foliis omnibus oppositis petiolatis obovatis spathulatisque. *Lin. sp. pl. 474. Will. sp. pl. 2. p. 243. Pers. syn. 1. p. 393. Poir. dict. enc. 5. p. 162. Spr. s. veg. 2. p. 135. Ten. fl. nap. pr. p. 23.*

Ic. *Lam. ill. gen. t. 262. Sturm. fl. germ. p. 1, f. 1. t. 7.*

Glaucoides palustre, portulacae folio, flore purpureo. *Mich. gen. t. 18.*

In humidis inundatis Calabriae; *Bagnara, Cotrone, Gerace.*

Majo, Julio. ♃

HEXANDRIA-TRIGYNIA.

RUMEX *ELONGATUS. Nob.*

R. valvulis cordato-ovatis integerrimis reticulatis unica granifera, verticillis inferioribus foliosis, foliis subundulatis, radicalibus oblongo-lanceolatis longe petiolatis, caulinis sublinearibus, caule erecto simplici.

Ic. *nostra t. 28.*

In stagnis Calabriae orientalis, *Catanzaro presso il fiume Magliacane, Cassano*; Lucaniae *a Policoro.*

Majo, Junio. ♂ ; 4

Radix fusiformis, albida. *Caulis* glaberrimus, striatus, strictus, viridis, levis, 1 ½ - 2 ½ ped. altus. *Folia* erecta, glaberrima, margine subundulata, aliquando obsolete crenulata et basi obbliqua; radicalia 4-6 pollices longa, vix pollicem lata; petiolis canaliculatis, striatis, semipedalibus: caulina linearia, sensim angustiora et breviter petiolata, 3-5 lin. lata, 2-3 pol. longa. *Flores* hermaphroditi, in racemos verticillatos simplices, vel ramosos dispositi; verticillis remotiusculis. *Pedunculi* capillares, irregulares, in fructu cernui, 2-5 lin. longi. *Valvulae* fructus 2 lin. longae, 1 ½ latae, obtusiusculae, glabrae, pallide virentes. *Semina* acute triquetra, pallide rubentia.

RUMEX *ULIGINOSUS. Nob.*

R. floribus hermaphroditis, valvulis omnibus grosse graniferis ovato-lanceolatis angustis basi subulato-dentatis, subulis (utrinque 2-3) rigidis valvula subaequalibus, verticillis multifloris confertis foliosis, foliis radicalibus lineari-oblongis margine eroso-crispis, caulinis subsessilibus angustissimis.

Ic. *nostra t. 29.*

Lapathum aquaticum luteolae folio. *Bocc. mus. t. 104.*

In humentibus et uliginosis Aprutii; *presso le sponde del lago Fucino.*

Julio, Septembri. ⊙, ♂

Radix ramosa, fibrosa, gracilis. *Caulis* erectus, glaber, striatus, levis, semipedalis vel pedalis, ab ipsa basi alterne ramosus; *ramis* subflexuosis, erecto-patentibus. *Folia* glabra, laete virentia, levia; *radicalia* obtusiuscula, patentia, margine prope basim eroso-crispa, aliquando crenulata, 3-4 poll. longa, vix ½ poll. lata, in longum petiolum attenuata; petiolis 2-3-pollicaribus, canaliculatis, striatis, glaberrimis: *caulina* sessilia, linearia, angusta, 2-3 lin. lata, acuta, horizontaliter patentia, 1-2 poll. longa. *Flores* parvi, virescentes, per ramos verticillati fere ab ipsa basi ramorum; verticillis densis, inferioribus remotiusculis, superioribus approximatis. *Pedunculi* glabri, capillares, irregulares, breves, 2-3 lin. longi. *Valvulae* glabrae, non reticulatae, angustae, vix lin. latae, 2 lin. longae, acutiusculae: basi utrinque ad marginem subulis duobus vel tribus patentibus instructae, valvula ipsa brevioribus vel aequalibus: omnes graniferae; *granulis* oblongis, pallide lutescentibus, crassis, majusculis, latitudinem fere totius valvulae occupantibus. *Semina* triquetra, parva.

Icon *Bocconi* superius citata hanc speciem exacte refert, quamvis a *Will.*, et a *Lin.* ad *R. maritimum*, et inde a Cl. *Smithio l. c.* ad *R. palustrem* sit relata. Interim fateor, quod dubius ad-

huc haereo, an haec species sit a *R. maritimo* revera diversa, cum nec specimina exsiccata, nec iconem bonam adhuc viderim. Quantum ex descriptione *Smith. l. c.* consequi licet, haec nostra differt a *R. maritimo*, radice gracili annua (ut ex *Lin.*, et *Dec.*), vel ad summum bienni, non perenni; foliis radicalibus petiolatis, non sessilibus (*Lam.*); valvulis ovato-lanceolatis, non deltoideis; subulis valvulam sat rare excedentibus. Idcirco descriptionem et iconem dedi, ut Botanici qui *R. maritimum Lin.* bene noscunt, judicent situm, an non ab illo diversum.

RUMEX *SCUTATUS*. *Lin.*

R. floribus hermaphroditis, valvulis subrotundo-ovatis reticulatis integerrimis granulo destitutis, foliis glaucescentibus cordato-hastatis, auriculis divaricatis, caulibus strictis. *Lin. sp. pl. 480. Will. sp. pl. 2. p. 257. Pers. syn. 1. p. 395. Lam. dict. enc. 1. p. 66.*

Ic. R. glaucus. *Jacq. ic. rar. 1. t. 67.*

Oxalis rotundifolia. *Dod. pempt. 649.*

In collibus arenosis et lapidosis Calabriae, *Reggio.* Aprili, Majo. 4

TRIGLOCHIN *BARRELIERI*. *Loisl.*

T. radice bulbosa, scapis strictis, foliis subteretibus superne sulco exaratis erectiusculis, capsulis

approximatis trilocularibus striatis apice attenuatis erecto-patentibus. *Loisl. fl. gall. p. 725. Dec. fl. fr. supp. p. 313. Poir. dict. enc. 5. p. 360. Spr. s. veg. 2. p. 145.*

Ic. Juncago maritima. *Barr. ic. 271.*

In pascuis arenosis humidis vel inundatis maritimis Japygiae, *Torre a mare, Taranto, Gallipoli;* et Lucaniae *a Policoro.*

Aprili, Majo. ♃

HEXANDRIA—POLYGYNIA.

ALISMA *RANUNCULOIDES. Lin.*

A. foliis lineari-lanceolatis, pedunculis subumbellatis, capsulis pentagonis incurvis globoso-aggregatis (subsquarrosis). *Lin. supp. 487. Will. sp. pl. 2. p. 279. Lam. dict. enc. 2. p. 514. Pers. syn. 1. p. 401. Spr. s. veg. 2. p. 163. Ten. fl. nap. pr. supp. 1. p. 60.*

Ic. *Fl. dan. 122. Red. lil. t. 268.*

Plantago aquatica humilis angustifolia, et longifolia. *Lob. ic. 300. f. 2.*

In fossis et aquis lente fluentibus Aprutii; *Pescara.*

Majo, Junio. ♃

ALISMA *DAMASONIUM. Lin.*

A. foliis cordato-oblongis trinerviis, floribus hexagynis, capsulis subulatis basi connatis stellatim patentibus. *Lin. sp. pl. 486. Will. sp. pl. 2. p. 277. Ten. fl. nap. pr. p. 23.*

A. stellata. *Lam. dict. enc. 2. p. 514.*

Damasonium stellatum. *Pers. syn. 1. p. 400.*

Ic. *Red. lil. t. 289.*

Plantago aquatica minor altera. *Lob. ic. 301.*

Damasonium stellatum. *Dalech. hist. p. 1058.*

In fossis et stagnis Calabriae orientalis, *S. Leonardo, Cotrone, Cassano;* Peucetiae, *Monopoli.*

Majo, Junio. ⊙

CLASSIS VIII.

OCTANDRIA-MONOGYNIA.

ERICA *MULTIFLORA, b. longepedunculata. Will.*

E. antheris muticis styloque exsertis, corollis tubuloso-campanulatis, floribus axillaribus racemoso-corymbosis erectis, pedunculis capillaribus folio subaequalibus corolla duplo longioribus, foliis quaternis linearibus glabris. *Will. sp. pl. 2. p. 411.*

*

E. peduncularis. *Presl. del. prag. p. 89.*

Ic. E. coridis folio, dense fruticans, floribus in spicam, qui e candido-purpurascunt. *Cup. panph. sic. 2. t. 94!*

E. coris folio 11. *Clus hist. 1. p. 42?*

In aridis collibus calcareis, mari proximis Japygiae, *Gallipoli, Otranto, Lecce.*

Septembri, Octobri. ♄

DAPHNE *GLANDULOSA. Bertol.*

D. floribus subternis terminalibus, foliis oblongo-obovatis obtusis utrinque glabris, subtus punctato-glandulosis, junioribus pubescentibus, caule fruticoso ramosissimo. *Bertol. am. it. p. 356. Spr. s. veg. 2. p. 237. Ten. fl. nap. pr. supp. 4. p. 8.*

Ic. Chamaelea quadrifolia, chamaeleae incanae figura, floribus quadrifidis candidis extus pilosis, uter aliquo folio (sic). *Cup. panph. sic. 1. t. 117.*

In rupibus calcareis montosis elatioribus Aprutii; *Morrone, Monte Corno, Monte Intermesole* (ubi simul cum *D. alpina*); Samnii, *Monte Capraro.*

Julio, Augusto. ♄

DAPHNE *COLLINA. Smith.*

D. floribus fasciculatis terminalibus externe sericeo-lanatis, foliis spathulato-obovatis: supra glaberrimis nitidis subtus villoso-pubescentibus. *Will. sp.*

pl. 2. p. 423. (excl. syn?) *Pers. syn. 1. p. 435,* excl. syn. *Vahlii?* et *Lamarkii. Spr. s. veg. 2. p. 237. Ten. fl. nap. pr. p. 24.*

Ic. *Smith. spicil. bot. t. 18. Sibth. fl. gr. t. 359. Duham. ar. ed. nov. v. 1. t. 10.*

In collibus aridis calcareis montosis Aprutii; *alle gole di Popoli e sopra Rajano*, una cum *Buxo sempervirente.*

Aprili, Majo. ♄

D. sericea, Vahl. sym. 1. p. 28, ex observatione Cl. *Sibthorpii* huc spectat, quamvis ut diversa species enumeretur a *Sprengelio l. c.*

OCTANDRIA—TRIGYNIA.

POLYGONUM *ROMANUM. Jacq.*

P. floribus octandris trigynis subquaternis axillaribus, pedunculis flore longioribus, foliis ellipticolanceolatis patentibus margine subcrenulatis, ochreis laceris, caule suffruticoso prostrato. *Jacq. obs. bot. par. 4. p. 8.*

P. flagellare. *Bertol. lucubr. de re herb. p. 33. Spr. s. veg. 2. p. 255. Ten. fl. nap. pr. p. 8.*

Ic. *Jacq. l. c. t. 58.*

P. majus romanum, longius radicatum, foliis roris marini, longissimis flagellis donatum. *Bocc. mus. t. 58.*

P. angustifolium majus. *Barr. ic. 546*, mala.

In arenosis marginibus agrorum Campaniae, *Venafro*, *e Torricella*; Aprutii, *Tagliacozzo*, *Avezzano*, *Capistrello*.

Junio, Septembri. ♃

Flores odori; petalis basi albis, margine roseis.

Quamvis Cl. *Bertolonius* suum *P. flagellare* a *P. romano Jacq.* differre credat; tamen exemplaria in Aprutio, et in Campania lecta, cum icone et descriptione Jacquiniana collata, ex asse conveniunt. Ab hac tamen abunde differt, habitu, foliis cauli approximatis non vero patentibus, racemis elongatis, ec., planta illa quae in Sicilia provenit, et quam in *Cat. H. Reg. Bocc. p. 79.* pro *P. romano Jacq.* habui, ideoque si de hac loquitur Cl. *Bertolonius* jure asserit a *P. romano Jacq.* differre, quod de altera minime verum.

CLASSIS X.

DECANDRIA--MONOGYNIA.

RUTA *BRACTEOSA. Dec.*

R. foliis supradecompositis, latitudine vix triplo longioribus, foliolis oblongo-cuneatis subaequalibus obtusis, bracteis maximis subcordatis, petalis ciliatis. *Dec. pr. syst. nat. 1. p. 710. Spr. s. veg. 2. p. 320.*

Ic. R. minor Chabraei. *Cup. panph. sic. 3. t. 150.*

In collibus aridis calcareis maritimis Calabriae orientalis, *Capo pellaro presso Regio;* Peucetiae, *Mola.*

Aprili, Majo. ♄

Inter *R. chalepensem* et *R. divaricatam* species media; at ab utrisque diversa, bracteis latis cordatis; hae quidem variant, 1-3 lin. latae, et hinc *R. divaricatae* proximior; sed petalis constanter ciliatis, foliorumque petiolis minime divaricatis distincta.

DECANDRIA—DIGYNIA.

SAXIFRAGA *GLABELLA. Bertol.*

S. caulibus annotinis erectis paucifloris, foliisque omnibus indivisis lineari-subspathulatis glaberrimis, petalis obovatis obtusis calyce duplo longioribus triplinerviis, pedunculis calycibusque puberulis subviscidis. *Bertol. virid. Bon. veget. an. 1824. p. 8. Ten. fl. neap. pr. app. 4. p. 8.*

Ic. *nulla.*

In humidis et muscosis rupibus alpinis Aprutii; *Majella a Grotta Caprara, a Scrimacavallo, Monte corno, Monte Intermesole.*

Julio, Augusto. 2

GYPSOPHYLA *ARROSTII. Nob.*

G. floribus paniculatis (parvis) hermaphroditis, paniculae ramis trichotomis divaricatis unifloris, staminibus corolla sublongioribus, laciniis calycinis obtusis punctato-scabris , foliis lineari-lanceolatis planiusculis levibus , caulibus teretibus prostrato-adscendentibus glaberrimis.

Arrostia dichotoma. *Raf. carat. p. 76.*

b. pubescens ; floribus minoribus ; ramis magis divaricatis ; caule foliisque planis pilis glandulosis undique tectis.

Ic. *nostra t. 30.*

In collibus arenoso-gypsosis Calabriae orientalis, *da Reggio a Siderno, Suverato, Francavilla, Amendolara* ambae varietates simul proveniunt.

Junio, Julio. 2

Caules paniculati, articulati, ancipites, glaberrimi , prostrati, leves, inferne purpurascentes, geniculis tumidiusculis, dichotomo-ramosi, ramis divaricatis. *Folia* lineari-lanceolata vel linearia, erecta, sessilia, basi subvaginantia, integerrima, acuta, vix supra canaliculata, subtus carinata enervia , levia (non scabra), 1-2 pollices longa, 1-1 $\frac{1}{2}$ lin. lata , pallide virentia ; non vero ad sulcos superne albida, ut in *G. paniculata. Pedunculi* terminales vel ex dichotomia, graciles, glabri vel pubescentes, ut in varietate *b.*, 4-10 lin. longi, erecti. *Calyces* ebracteati, foliolis margine albidis. *Corollae* albae, parvae, ca-

lycem vix excedentes, non revolutae. *Stamina* subexserta. *Capsula* majuscula, subrotunda, glaberrima, 4-5 valvis; valvulis binis coalinis, ita ut 2-3-valvis videatur. *Semina* subreniformia, gyroso-exasperata, lateribus convexis; rufescentia, majuscula, non minima, ut in *G. paniculata.*

Varietas *b.* quamvis nonnullis characteribus ab *a.* recedat, tamen hi non tanti momenti sunt, ut novam speciem constituere valeant; praesertim cum caules et folia inferiora sint aliquando glabra in *b.*, et pedunculi quandoque pubescentes in *a.*

Nomen hujus speciei mutavi, quia in *Dec. pr. s. nat. 1. p. 352.* alia *G. dichotoma Bess.* jam recensita invenitur.

GYPSOPHYLA *ILLYRICA. Sibth.*

G. pubescens, caule basi subcaespitoso apice dichotomo-fastigiato, foliis linearibus trinerviis subulatis, calycibus 5-angularibus ebracteatis, petalorum laminis obovatis fauce tripunctatis. *Sibth. fl. gr. 4. p. 77. Spr. s. veg. 2. p. 372.*

Saponaria illyrica. *Lin. mant. 70. Will. sp. pl. 2. p. 669. Poir. dict. enc. 6. p. 527. Pers. syn. 1. p. 492. Ten. fl. nap. pr. app. 4. p.*

Ic. *Sibth. l. c. t. 386.*

Lychnis caryophylloides alpina, gramineo folio, pubescenti-viscosa, flava. *Cup. panph. 2. t. 22.*

In collibus aridis arenosis Calabriae; *da Reggio a Capo di Bova.*

Majo, Junio. ♃

GYPSOPHYLA *RIGIDA. Lin.*

G. caulibus ramosis, foliis linearibus planis, floribus solitariis, petalis emarginatis, bracteis quaternis ellipticis aequalibus obtusis mucronatis. *Lin. sp. pl. 583. Will. sp. pl. 2. p. 666. Pers. syn. 1. p. 492. Sibth. fl. gr. 4. p. 75. Smith. fl. gr. prodr. 1. p. 280.*

Ic. *Sibth. l. c. t. 382.*

Tunica minima. *Dalech. hist. p. 1191.*

Lychnis parvula caryophyllata, flore rubello, Italis Haemorrhoidalis Aldrovandi. *Barr. ic. 998.*

In collibus aridis Calabriae orientalis; *Cassano Cariati, Corigliano, Europoli.*

Majo, Junio. ♃

Habitu, bractearum forma, aliisque characteribus a *G. saxifraga* omnino diversa. Confer *Sibth.* in *fl. gr. l. c.*

Icon *Dalechampii* male a *Dec.* in *pr. s. nat. 1. p. 354.* ab hac specie excluditur; et ad *G. saxifragam* amandatur; male etiam *G. saxifraga b. rigida*, floribus agglomeratis, *fl. fr. supp. p. 600*, cum *G. rigida Lin.* conjungitur; nam potius ad *G. dianthoidem Fl. Gr.* spectat, uti ex descriptione conjicere licet. Veram iconem *G. saxifragae Lin.* dedit Cl. *Smith.* in *bot. ex. 2. t. 90.*

GYPSOPHYLA *DIANTHOIDES. Sibth.*

G. caulibus ramosis adscendentibus, foliis linearibus, floribus capitatis, bracteis confertis dilatatis scariosis ovato-lanceolatis acuminatis, petalis obtusis integerrimis. *Sibth. fl. gr. 4. p. 76. Smith. fl. gr. pr. 1. p. 280. Dec. pr. s. nat. 1. p. 354. Spr. s. veg. 2. p. 373.*

G. rigida. *Dec. fl. fr. supp. p. 600?* (non *Lin.*)

Ic. *Sibth. l. c. t. 383.*

In collibus aridis Aprutii; *Popoli, Pacentro, Sulmona.*

Junio, Julio. ♃

Habitus omnino praecedentis, a qua potissimum differt, floribus capitatis et bractearum figura. Ab icone *Fl. Gr.* nostra planta recedit caulibus adscendentibus.

SAPONARIA *BELLIDIFOLIA. Smith.*

S. caespitosa, floribus capitatis densis, calycibus teretibus hirtis, petalis linearibus emarginatis, foliis spathulatis margine subundulatis, caule glabro. *Smith. spic. bot. 5. Will. sp. pl. 2. p. 670. Lam. dict. enc. 1. p. 520. Pers. syn. 1. p. 493. Spr. s. veg. 2. p. 374. Ten. fl. nap. pr. p. 25.*

Ic. *Portensch. pl. dalm. t. 7. f. 2 !*

Lychnis rubra, globulariae capite et facie, montana. *Boco. mus. t. 62. f. 1.*

*

L. lutea, montana, globulariae capite et facie. *Barr. ic. 498.*

In herbidis rupibus montium Aprutii; *Morrone alla discesa di rava roscia, Majella nella valle dell' Inferno.*

Junio, Julio. 2

SAPONARIA *CALABRICA. Nob.*

S. radice fibrosa, caulibus dichotomo-divaricatis erectis, foliis obovato-spathulatis subuninerviis, floribus axillaribus solitariis, calycibus teretibus villoso-glandulosis, petalorum lamina orbiculata basi constricta, seminibus tuberculatis subglobosis. *Ind. sem. H. R. Bocc. an. 1825.*

Ic. *nostra t. 31.*

In aridissimis collibus Calabriae orientalis; *Corigliano, Cariati, Catanzaro.*

Aprili, Majo. ⊙!

Radix annua, gracilis, ramosa, albida. *Caulis* geniculatus, teres, ad genicula rubescens, solidus, levis, non striatus, articulis superioribus longioribus, basi glaber, superne villoso-viscosus, villis patentibus sparsis; palmaris aut pedalis, apice dichotomo-ramosus, *ramis* divaricatis. *Folia* in petiolum canaliculatum attenuata, patentia, viridia, aetate rubentia, glabra vel obsolete villosa, raro margine ciliata, plana, 5-10 lin. longa, 1-5 lin. lata; *inferiora* oblongo-obovata vel spathulata, obtu-

sa ; *superiora* oblongo-lanceolata, obtusa vel acutiuscula, enervia. *Pedunculi* floriferi erecti, vix lin. longi, fructiferi secundi, deflexi, cauli adpressi, teretes, villosi, subrubentes, post anthesim elongati, 5-6 lin. longi. *Calyces* cylindrici; fructiferi vero in medio subincrassati, 5-6 lin. longi, striati, virentes, 5-dentati, dentibus obtusis. *Corollae* amoene roseae, fauce coronatae ; petalorum *unguibus* lineari-setaceis calyce longioribus, apice viridibus, inferne albidis ; *laminis* subrotundis, basi constrictis et fere unguiculatis, planis, integerrimis, diametro lineari. *Stamina* exserta, apice rosea ; *antheris* purpurascentibus, globosis. *Styli* duo exserti, pallide rosei, glabri. *Capsula* intra calycem sessilis, oblonga, apice dehiscens, glabra, 4-valvis, valvulis subscariosis. *Semina* globoso-reniformia, non compressa, nigra sub lente tuberculata. Ubi petala inseruntur *glandulae* quinque virescentes inter illa sitae observantur, quae sunt deorsum productae, ideoque fere uncinatae.

Differt a *S. ocymoide*, radice fibrosa, annua ; caule laxe villoso, non sub villis puberulo, erecto, et solummodo in adultis plantis divaricato-patulo ; floribus solitariis ex dichotomia, et inde per caulem sparsis secundisque, fere ut in *Silene sedoidi*, at non fasciculatis ; lamina petalorum basi valde constricta, ideoque subrotunda et fere pedicellata, non lineari-cuneiformi vel obovata, et ab apice ad

basim sensim attenuata; *seminibus* tuberculatis, subrotundis, nec levibus compressisque. Hinc diagnosis *S. ocymoidis* erit:

S. radice caulescente perenni, caulibus procumbentibus subdichotomis, foliis ovato-lanceolatis subuninerviis, floribus fasciculatis, calycibus teretibus villosis, petalorum lamina spathulata vel cuneiformi, seminibus levibus compressis.

DIANTHUS *VELUTINUS*. *Nob.*

D. seminibus tuberculatis, floribus aggregatis capitatis inter bracteolas pedicellatis, squamis calycinis ovatis tubo subaequalibus scariosis acutiusculis exterioribus binis mucronatis, caule simplici pubescente erecto stricto. *Ind. sem. H. R. Boc. an. 1825.*

Ic. *nostra t. 32.*

In collibus aridis Calabriae, *Reggio, Catanzaro, Suverato*; Lucaniae et Japygiae maritimis.

Aprili, Majo. ⊙

Caules plures ex eadem basi, vel solitarii, simplicissimi, teretes, erecti, stricti, leves, post exsiccationem striati, 1-3 ped. longi, articulati; articulis superioribus inferioribusque glaberrimis, intermediis molliter pubescentibus, pilis brevissimis reflexis. *Folia* glaberrima; basi vaginantia, saepe trinervia, acuta, margine prope basim ciliata, 1 ½-2 lin. lata, pollicem vel sesquipollicem longa; superiora sensim breviora; suprema brevissima, margine scariosa,

concava, bracteis similia. *Bracteae* duae exteriores calycem stipantes concavae, ovales, mucronatae, caeteris dimidio breviores, 4-5 lin. long., 3 lin. latae; duae interiores oblongae, acutiusculae, concavae, flores aggregatos includentes, 6-7 lin. longae, tubo corollae aequales. *Flores* 5-8, aggregati, pedunculati; circumdati bracteolis oblongis, concavis, scariosis, albidis, vel apicem versus purpurascentibus, acutis, integris, calyce aequalibus, numero variis. *Calyx* glaber, 5-angulatus, tubulosus, margine irregulariter denticulato, membranaceo-scariosus, unguibus corollae aequalis, maturescente capsula latere fissus. *Corolla* rosea, petalis imberbibus, profunde emarginatis, integris; *laminis* basi venis tribus purpureis notatis, 2-lin. latis, 3-lin. longis; *unguibus* 6-lin. longis. *Stamina* et *pistilla* vix exserta. *Capsula* angulata, glabra. *Semina* semipyriformia, hinc excavata, et altero latere convexo minutissimis tuberculis scabra, nigra.

Differt a *D. prolifero*; caule simplicissimo, sat raro ramoso; squamis calycinis exterioribus duabus acutis mucronatis, non quatuor muticis obtusis; interioribus acutiusculis non obtusissimis rotundatis; floribus inter bracteolas pedunculatis; seminibus tuberculatis, non levibus; florendi tempore praecociore.

DIANTHUS *CILIATUS*. *Nob.*

D. caule erecto apice parum ramoso, foliis enerviis margine serrulato-ciliatis, floribus solitariis pedunculis bifidis, squamis calycinis senis adpressis acuminato-aristatis calyce plusquam dimidio brevioribus, petalis glabris cuneato-obovatis integris vel obsolete eroso-crenatis. *Ind. sem. H. R. Boc. an. 1825.*

Ic. *nostra t. 33.*

In collibus aridissimis calcareis, et ad radices montium Aprutii meridiem spectantibus; *Rajano, Sulmona, al Morrone da Popoli a Pacentro.*

Junio, Julio. 2

Planta plus minus glaucescens, basi caespitosa. *Caules* annotini simplices, teretes, recti, geniculis inferioribus pubescenti-scabris, superioribus glaberrimis levissimis; 1-2 ped. alti, 1 ½ ad 2 ½ in planta culta. *Folia* canaliculata, apice subulata, glaberrima, 2-5 pollices longa, 1-lin. lata; inferiora longiora, patentia, magis canaliculata, aliquando recurva; superiora breviora, erecta, basi margine membranacea, magis plana. *Flores* aliquando bini, sed semper fere solitarii; pedunculis latere interiore compressis, vix divaricatis. *Squamae* calycinae striatae, glabrae, margine integrae, vix membranaceae, sub lente ciliatae, 3-4 lin. longae, aliquando ovato-lanceolatae. *Calyces* puberuli, striati, 8-10 lin. longi, 5-dentati, dentibus acutis in fructu elongatis.

Petala glaberrima, concoloria, enervia, coerulescentia, plana, concava vel convexa, rotundata vel acutiuscula, saepius integra, raro eroso-crenata; *laminis* 5-lin. longis, 5- lin. latis; *unguibus* 10-12 lin. longis, calycem excedentibus, virescentibus, linearibus, externe subcarinatis, interne striatis. *Genitalia* exserta; *staminibus* glabris, defloratis sub petala reflexis; *pistillis* glabris, aliquando apice spiralibus. *Capsula* cylindrica, glabra, calyce paulo brevior, apice 5-dentata, dentibus obtusis revolutis; basi membranaceo-hyalina, sub lente minutissime nervoso-striata, nervis albidis. *Semina* atra, hinc plana, illinc convexa, margine membranacea, sub lente pulchre reticulata, subobliqua.

An *D. Hornemanni*, pedunculis bifidis terminalibus, squamis calycinis lanceolato-cuspidatis erectis tubo brevioribus, petalis incisis, foliis linearibus nervosis margine serrulato-scabris, *D. furcatus Horn.*, ex *Dec. prodr. 1. p. 362. n. 83* hujus speciei varietas?; at petala in nostra nunquam incisa, et folia enervia.

DIANTHUS *BISIGNANI. Ten.*

D. floribus aggregatis fasciculatis, squamis calycinis interioribus brevioribus margine ciliatis, exterioribus setaceo-subulatis longissimis, foliis crassiusculis linearibus semiteretibus integerrimis glabris glaucescentibus, caule fruticoso. *Ten. fl. nap. 1. p. 228.*

D. rupicola. *Biv. cent. 1. p. 31. Dec. pr. s. nat. 1. p. 357. Spr. s. veg. 2. p. 375.*

Ic. *Ten. l. c. t. 37. Biv. l. c. t. 1.*

In rupibus graniticis maritimis Calabriae; *a Torre Cavallo presso Scilla, Capo di Bova.*

Majo, Julio. ♄

DECANDRIA-TRIGYNIA.

SILENE *GRAEFFERI. Nob.*

S. radice repente, caule erecto simplici pauciflоro, foliis lanceolatis ciliatis adpresse hirsutis, floribus racemosis secundis, calycibus 10-striatis subscariosis tubuloso-clavatis, petalis bipartitis. *Ind. sem H. R. Bocc. an. 1825.*

S. ciliata, pubescens, floribus paucis lateralibus secundis, petalis bifidis, calycibus tubulosis 10-striatis, foliis linearibus basi ciliatis. *Moretti dec. pl. ital. 6. p. 4.* exclusis synonymis.

Ic. *nostra t. 34.*

In pascuis elatioribus montium Samnii et Aprutii. In monte *Matese* primus observavit amicissimus *Graefer*; in *monte de' Fiori Orsini*; in montibus *Corno*, *Morrone* et *Majella* a me lecta.

Junio, Augusto. ♃

Radix perennis, albida, fibrosa. *Caules* solitarii, simplices (in planta culta aliquando ramosi), teretes, articulati, articulis aequalibus, internodiis

superioribus longioribus; erecti vel adscendentes, subpubescentes, virides, ½-1, ped. (1-2 in planta culta). *Folia* patentia, integerrima, basi ciliis longioribus instructa, utrinque scabra, supra concava, subtus carinato-convexa, carina albidâ; inferiora, obtusiuscula, internodiis longiora; superiora sensim minora, internodiis breviora, sessilia, subvaginantia, acutiuscula. *Flores* pedunculati, vespere noctu et summo mane explicati, subnutantes, in racemo terminali simplici (raro bifido in planta culta), 4-6-floro (in planta culta 6-10), secundi, vix odori; suffulti bracteis duabus, oppositis, lineari-lanceolatis, pedunculis vix superantibus, ciliatis, obtusiusculis. *Pedunculi* pubescentes, teretes, apice subclavati, 2-4 lin. longi, inferiores fructiferique magis elongati, sub anthesi patentes, demum cauli adpressi. *Calyx* sub anthesi tubulosus, demum clavatus, 7-8 lin. longus, 3-4 lin. latus, decem striatus, angulis virescentibus hirsutiusculis; caeterum glaber, subscariosus, et inter angulos hyalinus; 5-dentatus, dentibus obtusis, membrana scariosa sublacera apice appendiculatis subfornicatisque. *Corolla* albida, subtus virescens. *Petalorum* ungues sulcati, cuneiformes; laminae bipartitae, laciniis linearibus, divaricatis, ut plurimum incurvis, obtusis; ad faucem coronatae, coronae laminulis distinctis (nec coalitis), bipartitis, laciniis apice truncatis, raro denticulatis, emarginatis, semilineam longis latisque. *Genitalia* exserta; *stamina*

glabra, *pistilla* latere interiore barbata. *Capsula* calyce tecta, ovata, glabra, intra calycem longe pedicellata; pedicello (*tecapophoro*) 3-4 lin. longo, clavato, striato, pubescente. *Semina* nigra, subreniformia, utrinque compressa, dorso pulchre excavato-punctata (punctis impressis notata).

S. ciliatae Dec. pr. sys. nat. 1. p. 374, et *S. Pourretii, Poir. dict. enc. supp. 5. p. 150*, ita similis ob inflorescentiam, ut unam eademque speciem diceres, at foliis et radice omnino diversa. Radix in nostra fibrosa, tenuis, huc illuc per obliquum inter graminum glebas excurrens; et nunquam lignosa, ac prope collum caespitosa, ut in *S. ciliata.* Folia margine ad basim ciliata, et prope radicem fere omnia conferta, ut in *S. ciliata;* sed undique adpresse hirta, lanceolata non linearia, 1 ½-2 pollices longa, 3-5 lin. lata.

Synonymon *Moretti* ex speciminibus ab amicissimo *Orsini* communicatis ad hanc absque ullo dubio spectat.

SILENE *MULTICAULIS. Nob.*

S. caule adscendente (gracili) dichotomo-paniculato, foliis linearibus angustis puberulis acutis ciliato-scabris, floribus subpaniculatis, calycibus glaberrimis clavatis, petalis bipartitis, coronae laminis bicuspidatis, capsula ovato-oblonga breviter pedicellata.

Ic. *nostra t. 35.*

In glareosis montosis elatioribus humo repletis, et ad saxorum rimas in umbrosis Aprutii; *Piano di cinque miglia ne' monti, Pesco Costanzo, Morrone, Majella nella valle dell' Orfenta, ed in quella dell' Inferno, Monti di Scanno.*

Julio, Septembri. ♃

Radix perennis, gracilis, diametro vix lineari, albida, inter lapides vel saxorum rimas hinc illinc excurrens. *Caules* plurimi ex eadem radice, basi simplices vel a basi ad medium ramosi, ramis divaricatis; geniculati, geniculis subincrassatis; inferne rubentes et puberulo-scabri, superne glabriusculi et aliquando glutinosi, teretes, filiformes, in rupibus dependentes, pedales vel sesquipedales. *Folia* erecto-patentia vel deflexa, subtus subcarinata, supra subcanaliculata, minutissime tuberculato-scabra, basim versus evidentius ciliata, obscure virentia, $\frac{1}{3}$-1 $\frac{1}{2}$ lata, pollicem vel sesquipollicem longa; inferiora parum latiora, magis approximata, et evidentius ciliato-scabra; superiora angustiora, remotiora, minus scabra, et ad margines fere levia. *Flores* solitarii in extremitate pedunculorum; qui leves, glabri, glutinosi, non striati 1-1 $\frac{1}{2}$ poll. longi, filiformes. *Calyx* glaber, albidus, obsolete 10-angulatus; angulis virentibus, vel purpurascentibus; 5-dentatus, dentibus acutis, margine albido-membranaceis, sub lente ciliato-laceris. *Petala* interne candida, externe sordide virentia; *laminis* obovatis, bipartitis, laci-

niis linearibus, apice parum dilatatis, obtusis, planis: *unguibus* calycem per lineas excedentibus, cuneiformibus, basi valde attenuatis, ibique ciliatis. *Corona* non coalita; *laminis* bipartitis, denticulatis, acutis. *Stamina* et *pistilla* exserta, *antheris* virescentibus. *Capsula* glabra, enervis; apice 6-dentata, dentibus subrecurvis; longe pedunculata; *pedunculo* (*tecapophoro*) capsulam aequante, puberulo, striato, 3-4 lin. longo. *Semina* rufescentia, suborbiculata, compressa, dorso canaliculata, facie utrinque striata, glabra.

Affinis *S. saxifragae* et *S. petreae Wald.* et *Kit*, huic vero proximior; tamen ab hac distincta, radice gracili; caule superne magis ramoso; floribus subpaniculatis; coronae laminis bipartitis non bifidis, laciniis acutis non obtusis; capsulis ovato-oblongis, pedicellatis, non subrotundis; seminibus rufescentibus, nec fuscis. A *S. polyphylla*, quantum ex icone et descriptione *Clusii* conjicere mihi licuit, differt habitu et foliis non fasciculatis, capsulis ovato-oblongis non subrotundis, seminibus minime cinereis.

SILENE *HISPIDA*. *Desf.*

S. hirsutissima pilis longis albis, caule ramoso erecto, foliis uninerviis late lanceolatis, inferioribus obovato-spathulatis obtusis, bracteis brevibus, calycibus longe clavatis, petalis bifidis, floribus se-

cundis suberectis, spicis bipartitis dichotomisque. *Desf. atl. 1. p. 348. Pers. syn. 1. p. 497. Dec. pr. s. nat. 1. p. 373. Ten. fl. nap. pr. p. 25.*

Silene hirsuta. *Poir. dict. enc. 7. p. 169.*

Ic. Lychnis alpina noctiflora, longis calycibus hirsutis, flore collecto. *Cup. panph. sic. 1. t. 87. Bon. t. 175.*

Inter segetes Calabriae orientalis, Lucaniae, Japygiae.

Majo, Junio. ⊙

SILENE *CATHOLICA. Ait.*

S. velutina superne glutinosa, caule erecto ramoso folioso, ramis superioribus gracilibus divaricatis, foliis radicalibus spathulatis, caulinis ovali-lanceolatis acutis, floribus (parvis) subfastigiato-paniculatis, calycibus clavatis, petalis bipartitis, genitalibus longissimis. *Ait. H. Kew. ed. 2. v. 3. p. 85. Reich. pl. cr. cent. 4. p. 3. Dec. pr. s. nat. 1. p. 370.*

C. catholicus. *Lin. sp. pl. 593. Will. sp. pl. 2. p. 688. Lam. dict. enc. 2. p. 222. Jacq. H. Vindob. p. 59.*

S. glutinosa. *Pers. syn. 1. p. 498.*

Ic. *Jacq. l. c. t. 59. Reich. l. c. t. 304. f. 477.*

Lychnis nocturna, non viscosa, herbaceo flore. *Dill. elth. t. 316. f. 408.*

Ad sepes et in sylvaticis Aprutii; *Montorio, Teramo, Querceto, Caramanico, Roccamorice*, ec.

Julio, Augusto. 2

Flores albi, parvi; *petalis* bipartitis laminis linearibus.

SILENE *BEHEN*. *Lin.*

S. foliis oblongo vel obovato-lanceolatis glaucescentibus inferioribus petiolatis, paniculae ramis subdicothomis flore intermedio brevius pedunculato, calycibus ovatis inflatis venoso-reticulatis breviter denticulatis, petalis bilobis, lobis brevissimis obtusis, coronae laminulis bipartitis. *Lin. sp. pl. 599. Will. sp. pl. 2. p. 699. Pers. syn. 1. p. 498. Poir. dict. enc. 7. p. 172. Smith. pr. fl. gr. 1. p. 294. Dec. pr. s. nat. 1. p. 368. Spr. s. veg. 2. p. 415.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 416.* (ex prodromo).

Lychnis vesicaria cretica, parvo flore purpurascente. *Dill. elth. t. 317. f. 409.*

Inter segetes Calabriae orientalis; *fra Capo Pellaro e Capo dell' Armi presso Regio.*

Aprili, Majo. ⊙! non 2

Caulis simplex, vel basi ramosus, ramis adscendentibus, teres, levis, erectus, ad nodos incrassatus, glaberrimus, glaucescens, 1-1 ½ ped. altus, superne subdichotomus. *Folia* erecta, amplexicaulia, et fere connata, margine tenuissime denticulato-ciliata, acuminata, enervia, plana vel subtus convexiuscula, glaberrima, apice rubentia, basi ad unum latus flexa, ideoque fere secunda, pollicem longa,

3-4-lin. lata. *Flores* parvi, laterales longe pedunculati, sub anthesi nutantes, in bifurcatione pedunculo 3-4-lin. longo calycibus breviore instructi. *Pedunculi* teretes, glaberrimi, cauli conformes, ante anthesim saepe cernui, in fructu erecti subclavati. *Calyx* glaberrimus, coloratus, 5-dentatus; dentibus margine membranaceis, obtusiusculis, 5-6 lin. longus; in fructu anulo incrassato basi cinctus. *Corolla* parva, rosea, laminis vix linea calycem excedentibus, bilobis vel bifidis, rotundatis, coronatis; coronae lacinulis integris emarginatisque, obtusis, brevissimis, $\frac{1}{2}$ lin. longis. *Genitalia* inclusa. *Stamina* alba. *Styli* apice purpurascentes. *Capsula* intra calycem sessilis, glabra, trilocularis, oblongo-ovata, cartilaginea, dura. *Semina* cinereo-fusca, exasperata, subrotundo-reniformia, dorso valde elevata, bicanaliculata, facie utrinque sulco semicirculari prope marginem excavata, ibique striata.

SILENE *TENUIFLORA*. *Nob.*

S. caule erecto stricto, foliis radicalibus spathulatis obtusis pubescentibus, caulinis superioribus lanceolato-linearibus apice attenuatis glabris, paniculae subdichotomae pauciflorae pedunculis elongatis, calycibus glabris elliptico-oblongis 10-nervosis teretibus, corollae (parvae) petalis emarginatis, capsulis ovatis brevissime pedicellatis.

Ic. *nostra t. 36.*

In herbidis ad margines agrorum; *Stalattì*, *Catanzaro*, *marina di Squillace.*

Aprili, Majo. ⊙

Caules 1 ½-2 ped. alti, basi puberuli, superne glabri, et aliquando subglutinosi. *Folia* radicalia et caulina illa *S. creticae* exacte referunt; a qua potissimum differt, *calycibus* non angulatis nec profunde striatis, sed teretibus et solummodo nervosis; *foliis* caulinis apice magis attenuatis, *calycinis* dentibus minus elongatis, non triangularibus, acutis, margine albo-membranaceis ut in illa; *corollis* duplo minoribus; *capsulis* ovato-oblongis, ventricosis, non simpliciter oblongis. *Semina* rufescentia, subrotundo-reniformia, dorso canaliculata, exasperata.

SILENE *MUSCIPULA. Lin.*

S. viscosa, caule erecto subsimplici, foliis inferioribus lanceolato-spathulatis, caulinis et superioribus lineari-lanceolatis, floribus in bifurcatione subsessilibus, calycibus clavato-cylindricis reticulatis, petalis emarginatis. *Lin. sp. pl. 601. Will. sp. pl. 2. p. 704. Pers. syn. 1. p. 499. Desf. atl. 1. p. 353. Poir. dict. enc. 7. p. 179. Dec. pr. s. nat. 1. p. 379. Spr. s. veg. 2. p. 412. Ten. fl. nap. pr. p. 26.*

Ic. Lychnis sylvestris III. *Clus. hist. 1. p. 289. Dalech. hist. p. 818.*

Muscipula viscaria, sive Lychnidis species. *Bauh. hist. 3. p. 349.*

In arvis, et inter segetes Japygiae; *Manduria*, simul cum *S. conica*.

Aprili, Majo. ⊙!

Semina fusca, suborbiculata, lineolis exasperata, dorso canaliculata, lateribus compressis.

SILENE *SEDOIDES*. *Jacq.*

S. viscoso-pubescens, caulibus erectiusculis dichotomis vel subsimplicibus, foliis carnosis, inferioribus spathulatis superioribus elliptico-oblongis lanceolatisque, floribus lateralibus terminalibus et in dichotomia longe pedunculatis, pedunculis demum divaricatis, petalis emarginatis coronatis, calycibus clavato-cylindricis. *Jacq. collect. supp. p. 112. Will. sp. pl. 2. p. 403. Pers. syn. 1. p. 499. Poir. dict. enc. 7. p. 180. Desf. atl. 1. p. 449. Dec. pr. s. nat. 1. p. 376. Spr. s. veg. 2. p. 407.*

Ic. *Jacq. l. c. t. 14.*

Lychnis marina, pumila, viscosa, alba, Alsinae folio, polyflora. *Cup. panph. sic. 1. t. 60. Bon. t. 144*, optimae.

In lapidosis maritimis Japygiae, *Leuca*, *Castro*; Peucetiae, *Mola*, *Polignano*.

Aprili, Majo. ⊙

Folia parva. *Coronae* laminae bipartitae. *Petala* in genere minima, vix semilineam lata; *laminis* recurvato-patentibus, integris, et aliquando non emarginatis. *Stigmata* exserta, albida, latere

*

interiore barbata. *Pedunculi* aliquando deflexi. *Semina* parva, reniformia, nigricantia, parum compressa, striata, dorso canaliculata.

Icon Jacquiniana ex individuis cultis deprompta, plantam quoad habitum et foliorum latitudinem non exacte refert, sed illae *Cupani*, et *Bonanni* optimae, quamvis rudes.

SILENE PSEUDO-*ATOCION*. *Desf.*

S. caule erecto simplici vel superne dichotomo-ramoso, foliis inferioribus petiolatis obovato-spathulatis in petiolum attenuatis, superioribus linearilanceolatis, panicula laxe corymboso-fasciculata, calycibus subviscosis cylindricis demum clavatis, pedunculis fructiferis elongatis subdeflexis, petalis integerrimis coronatis. *Desf. alt. 1. p. 353. Pers. syn. 1. p. 499. Dec. pr. s. nat. 1. p. 383. Spr. s. veg. 2. p. 410.*

Ic. Lychnis erecta, vetonicae foliis. *Bocc. mus. t. 118 !*

L. sylvestris hirsuta, multiflora, incarnata, viscosa. *Cup. panph. sic. 2. t. 151.*

Inter segetes Calabriae; *da Capopellaro a Brancaleone.*

Aprili, Majo. ⊙

Caulis erectus, strictus, simplex vel ramosus, inferne setulis albidis articulatis; superne, uti pedunculi calycesque, pilis rubentibus subviscosis te-

cti. *Folia* glabriuscula, aliquando subhispida pilis hinc inde sparsis, apice obtusa, margine plus minusque ciliata. *Pedunculi* sub anthesi breves, 2-3 lin. longi, erecti; fructiferi pollicares, divaricati. *Calyces* quinquedentati, 10-striati, subangulati; angulis purpurascentibus. *Petalorum ungues* calycem linea excedentes; *laminae* oblongo-cuneiformes, apice integerrimae, rotundatae vel emarginatae, linea notatae. *Coronae laminulae* lineares, apice bidentatae, albidae, subconnatae. *Genitalia* subexserta. *Capsula* erecta, glabra, apice 5-6-dentata; dentibus revolutis; intra calycem pedicellata, pedicello crasso angulato, capsula aequali. *Semina* nigra, suborbiculata, dorso vix canaliculata, lateribus convexa, concentrico-striata, lineolis exasperata.

STELLARIA *CERASTOIDES. Lin.*

S. caulibus caespitoso-subdichotomis, foliis oblongis glabriusculis, pedunculis unifloris geminatis fructiferis deflexis, foliolis calycinis obtusis, petalis bipartitis capsulisque oblongis calyce subduplo longioribus. *Lin. sp. pl. 604. Will. sp. pl. 2. p. 714. Smit. britt. 2. p. 477. Pers. syn. 1. p. 501. Poir. dict. enc. 7. p. 420. Dec. pr. s. nat. 1. p. 398. Spr. s. veg. 2. p. 392.*

Ic. Cerastium trigynum. *Vill. delph. 3. p. 645. t. 46*, sed male in icone petala denticulata exhibentur.

In pascuis humidis alpinis Aprutii ad nives

deliquescentes; *Majella alla rapina sopra Caramanico.*

Augusto, Septembri. 2

In omnibus nostris speciminibus *folia* semper glabra, ut recte monet Cl. *Smith. l. c.*; cujus descriptio cum nostra planta omnino convenit. *Caulis* apice tantum ac *calyces* pubescenti-viscosi, hinc et hujus loci est synonymon; Myosotis foliis glabris, lanceolatis, petiolis infractis. *Hall. hel. n. 890.*

STELLARIA *SAXIFRAGA. Bertol.*

S. pubescens diffusa, foliis sessilibus ovato-acutis, panicula dichotoma, pedunculis terminalibus alternis lateralibus bracteatis, foliolis calycinis lanceolatis corolla dimidio brevioribus, seminibus subreniformibus rugosis. *Bertol. am. it. p. 88. Dec. pr. s. nat. 1. p. 396. Spr. s. veg. 2. p. 394. Ten. fl. nap. pr. supp. 4. p. 9.*

Ic. *nostra t. 37. f. 1.*

Alsine alpina, angallides folio. *Zann. ed. Mont. p. 13. t. 1. f. 1.* (icon factitia quoad petala ex *Bertol.*)

In glareosis montium Aprutii; *Monte Costone, Monte Corno, Majella, Morrone.*

Julio, Augusto. 2

Folia sunt plana, et minime rugosa, ut in *descr. Dec. l. c.*

ARENARIA *procumbens. Vahl.*

A. undique pubescens, ramis procumbentibus elongatis teretibus, foliis lanceolato-linearibus ellipticisque, pedunculis subpaniculatis elongatis, calycinis foliolis obtusiusculis margine membranaceis corollam roseam parum excedentibus, capsula trivalvi calycem aequante. *Vahl. sym. 2. p. 50. Will. sp. pl. 2. p. 720. Pers. syn. 1. p. 502. Dec. pr. s. nat. 1. p. 413. Spr. s. veg. 2. p. 397. Ten. fl. nap. pr. p. 26.*

Ic. *Vahl. l. c. t. 33.*

Alsine maritima longius radicata, herniariae foliis ex Sicilia. *Bocc. sic. t. 10.*

b. floribus albis, caulibus subancipitibus.

A. herniariaefolia. *Desf. atl. 1. p. 358*, et *vol. 2. p. 450.*

A. geniculata. *Poir. dict. enc. 6. p. 365.*

In lapidosis maritimis Calabriae orientalis, Lucaniae, Japygiae, Peucetiae, Daunïae, ambo varietates passim occurrunt.

Majo, Junio. ♃

Pro locorum natura variat, *caulibus* omnino prostratis vel assurgentibus, brevibus vel valde elongatis; *foliis* brevioribus vel longioribus, plus minus pubescentibus; at *capsulas* semper trivalves in innumeris speciminibus observavi, non vero quinquevalves, ut ex *Desf.* et *Poir. l. c.*

DECANDRIA-PENTAGYNIA.

SEDUM *MAGELLENSE.* *Ten.*

S. caule erecto vel adscendente herbaceo, foliis obovato-oblongis sessilibus, floribus racemosis sparsis pedunculatis, petalis acutis lanceolatis. *Ten. fl. nap. pr. p. 26. Spr. s. veg. 2. p. 434.*

Ic. *Ten. fl. nap. ined.*

In nemoribus umbrosis ad rupes muscosas, vel ad truncos arborum emarcidos; Samnii, *Monte di Mezzo*, *Pescolanciano*, *Monte Capraro;* Aprutii, *Majella*, *Morrone*, *Monti di Scanno.*

Julio, Augusto. ☉ ♂

Caulis erectus vel adscendens, basi simplex vel ramosus, superne simplex, gracilis, glaberrimus, teres, bipollicaris, et in umbrosis aliquando pedalis. *Folia* inferiora rosulata, obovata, subsessilia; caulina inferiora obovato-cuneiformia, patentia; suprema oblonga, cauli adpressa; omnia laete virentia, glaberrima, apice rotundata, basi subsoluta, 1-1 ½ lin. lata, 2 ½-4 lin. longa, saporis herbacei; recta, vel aliquando incurva, supra plana vel vix canaliculata, subtus convexiuscula. *Racemus* terminalis, ante anthesim nutans. *Pedunculi* erecto-patentes, bracteis linearibus duplo longiores vel aequales, glabri, 2-3 lin. longi, uniflori sat raro 2-3-flori; aliquando bracteola lineari-lanceolata me-

dium versus instructi. *Calycis* foliola brevissima, lanceolata, obtusiuscula, concava, vix ½ lin. longa, glaberrima. *Petala* lanceolata, acuta, sordide albida, interne sulcata, concoloria; externe subcarinata, carina virentia, 1-1 ½ longa, ⅓ lin. lata, persistentia. *Stamina* albida, petalis breviora; *antheris* atropurpureis. *Capsulae* erectae, conniventes, obovatae, glaberrimae, petalis aequales. *Semina* fere cuneiformia, nigricantia, glabra, subcostata.

SEDUM *LITOREUM*. *Nob.*

S. caule erecto basi ramoso ramis adscendentibus, foliis spathulato-cuneiformibus semiteretibus obtusis glabris, floribus sessilibus lateralibus solitariis.

Ic. *nostra t. 37. f. 2.*

In ruderatis maritimis Calabriae orientalis; *alle Castella tra Catanzaro e Capo Rizzuto.*

Aprili, Majo. ⊙

Caules 2-4-pollicares, ab ipsa basi ramosi, teretes, glaberrimi, ramis floriferis apice recurvis divaricatis, fructiferis incurvis, approximatis. *Folia* glaberrima, basi soluta, superne plana, recta vel apice aliquando recurva, ½-1 pollicem longa, 2-3 lin. lata, levia, laete virentia. *Flores* pallide lutescentes, alterni, suffulti bracteis oblongis semiteretibus obtusiusculis. *Calycis* foliola subteretia, oblonga, aequalia, rubentia. *Petala* calyci aequalia vel parum longiora, lineari-lanceolata, canaliculata, aliquando

concava, acuta, vel breviter aristata. *Stamina* saepius quinque, petalis aequalia, albida. *Capsulae* erecto-patentes, glabrae, muticae. *Semina* ut in praecedente. *Habitus S. saxatilis.*

CERASTIUM *SYLVATICUM*. *Wald.* et *Kit.*

C. pubescens diffusum virescens, caule superne paniculato-dichotomo, foliis oblongo-lanceolatis, floribus erectis longe pedunculatis, foliolis calycinis ovato-lanceolatis margine membranaceis, petalis bipartitis calyce duplo longioribus, capsulis calycem excedentibus. *Wald.* et *Kit. pl. rar. hung. 1. p. 100. Dec. pr. syst. nat. 1. p. 419.*

Ic. *Wald.* et *Kit. l. c. t. 97?*

b. foliis quaternis verticillatis.

In vallibus humidis nemorum Samnii; *Monte di Mezzo presso Castel di Sangro.*

Junio, Septembri. Apud nos ⊙, non ♃

Planta laete viridis, minime caespitosa. *Caules* diffusi, raro basi ramosi, apice sub anthesi erectiusculi vel adscendentes, recti, striati, teretes, 1 ½ ad 2 pedes et ultra longi, geniculis aequalibus (non incrassatis). *Folia* radicalia subrotundo-ovata, in petiolum canaliculatum attenuata; superiora fere sessilia, oblongo-lanceolata; omnia acuta, margine ciliata, aequaliter pubescentia, 3-9 lin. lata, 1-1 ½ pol. longa, remota. *Bracteae* dichotomias stipantes lanceolatae, concavae, margine et apice membranaceae, externe

hirsutae. *Pedunculi* teretes, sub anthesi erecti, 2-3 lin. longi, post anthesim horizontales, declinati ½-1 poll. longi, saepius perfecto fructu iterum erecti. *Calycis* foliola acuminata, enervia, 1- lin. lata, 2 lin. longa. *Petala* patentia, basi striata, concoloria, obcordata. *Stamina* 5, alterna longiora, pistilla duplo superantia; *antheris* albidis. *Capsula* oblonga, glaberrima, calyce fere duplo longior, apice subincurva, 10-dentata; denticulis obtusis, linearibus. *Semina* rufescentia, compressiuscula, subrotunda, margine scabra.

Varietas *b.* ante anthesim *Asperulam taurinam* omnino refert.

Habitus et reliqui characteres cum planta hungarica omnino conveniunt; differt solummodo haec nostra, radice gracili annua, caule non caespitoso, nec ita firmo ut in icone citata. Tamen *C. sylvaticum* (et hoc nostrum, quod illius tantum varietas videtur) a *C. campanulato Viv.*, sive *C. praecoci Ten.* omnino differt, et perperam in unum confusa a Cl. *Spr.* in suo *s. veg. 2. p. 418.*

CLASSIS XI.

DODECANDRIA-MONOGYNIA.

LYTHRUM *PRESLII. Nob.*

L. caule subsimplici suberecto quadrangulo, angulis membranaceo-alatis, foliis alternis cordato-oblongis, floribus axillaribus solitariis hexapetalis dodecandris, staminibus calyce longioribus.

L. alatum. *Presl. del. Prag. p. 55.*

Ic. *nulla.*

Polygonum aquaticum, majus. *Barr. obs. 140. ic. 773. f. 1.?*

In inundatis, et uliginosis Calabriae orientalis. Majo, Junio. ☉ ♂

Hyssopifolia major, *Bauh. pin. 218*, est forsan hujus loci; dum H. minor, *ejusdem* ad *L. hyssopifolia* potius spectat. Nomen *Preslii* mutavi, ne cum *L. alato Pursh.* confundatur.

LYTHRUM *GRAEFFERI. Ten.*

L. caule diffuso ramoso angulato, foliis alternis inferioribus elliptico-oblongis obtusis superioribus lineari-lanceolatis linearibusque, floribus solitariis axillaribus hexapetalis dodecandris, staminibus ca-

lyce duplo longioribus. *Ten. fl. nap. pr. supp. 2. p. 68.*

L. Gussonii. *Presl. del. Prag. p. 55.*

Ic. Gratiola minima Gesneri, flore pleno prolifero. *Cup. panph. sic. 1. t. 62.*

In inundatis et uliginosis Japygiae; *Manduria Otranto, Brindisi.*

Majo, Junio. ♃

An Polygonum aquaticum majus, *Barr. ic. 773. f. 2.* potius ad hanc speciem spectat, quam ad *L. thymifolia*?; sed obstant corollae quae tetrapetalae in icone videntur. Cum *L. virgato,* a quo toto coelo diversum, nescio quo jure associatum a Cl. *Spr.* in suo *syst. veg. 2. p. 454.*

LYTHRUM *THYMIFOLIA. Lin.*

L. caule erecto ramis decussatis patentissimis, foliis alternis oblongis vel oblongo-spathulatis basi angustatis, floribus tetrapetalis diandris dibracteatis, capsulis linearibus. *Lin. sp. pl. 642. Will. sp. pl. 2. p. 870. Pers. syn. 2. p. 8. Poir. dict. enc. 6. p. 454. Marsch. fl. taur. cauc. 1. p. 366,* excl. syn. *Barr. t. 773. f. 2.,* ac *Bauh. hist. 3. p. 749,* quae ad praecedentem spectare potius videntur. *Spr. s. veg. 2. p. 454. Ten. fl. nap. pr. p. 28.*

Ic. Chondrylla palustris, humicubans, lanceolata, multiflora. *Cup. panph. sic. 2. t. 130.*

In inundatis maritimis Calabriae orientalis, *Capo Rizzuto, Cotrone, S. Leonardo, Cassano;* Peucetiae, *Monopoli;* Samnii, *Isernia.*

Majo, Julio. ☉

Radix annua, fibrosa. *Caules* erecti, ramosi; ramis superioribus aliquando alternis; subtetragoni, leves, glabri, palmares vel pedales. *Folia* breviter petiolata; inferiora opposita, superiora alterna; glabra, laete virentia, integra, obtusissima, laevia, reflexa, 2-2 ½ lin. lata, 8-10 lin. longa. *Flores* parvi, coerulescentes, subsessiles, non ut in congeneribus per caulis et ramorum summitates fere spicati; sed ex foliorum axillis racemuli breves emergunt, in quibus flores fere fasciculati; et praeterea unusquisque suffultus bractea obovata, spathulata, apice recurva, undique pruinoso-scabra, ac aliis bracteolis duabus oppositis lineari-lanceolatis vix lin. longis; ideoque species habitu a congeneribus diversa, nec tanquam ullius varietas habenda. *Calyces* quadridentati, dentibus obtusis brevissimis erectis; aliquando purpurascentes, scabri, in fructu subangulati elongati. *Capsulae* lineares, leves. *Semina* subrotunda, levia, flavescentia.

DODECANDRIA–TRIGYNIA.

EUPHORBIA *CUNEIFOLIA. Nob.*

E. umbella quinquefida-trifida-bifida, vel quinquefida-dichotoma, involucris foliisque cuneato spa-

thulatis glabris et involucellis rhombeis antice acute serrulatis, capsulis trigonis setis crassis obsitis, seminibus punctato-scabris.

Ic. *nostra t. 38.*

In herbidis fruticetis maritimis Calabriae orientalis; *Brancaleone*, *Roseto*, *Capo Brazzano.*

Aprili, Majo. ⊙

Radix perpendicularis, fibrosa, annua. *Caules* simplices vel basi ramosi, ramis adscendentibus; teretes, glabri, leves, pallide virentes, palmares vel in fertilibus pedāles. *Folia* enervia, laete virentia, glaberrima, basi amplexicaulia ac integra, apice rotundata aut aliquando emarginata, erecta, patentia vel aetate deflexa, 3-6 lin. longa, 2-lin. lata, ascendendo majora et magis distantia. *Rami* floriferi sub umbella nulli, vel 1-2, erecto-patentes, 1-2-pollicares. *Involucri* foliola 5, patentia, demum deflexa, foliis omnino conformia, radiis subaequalia vel duplo breviora. *Involucella* glabra, 2-3 lin. lata et longa, apice rotundata. *Radii* primarii umbellae 1-2 poll. longi, subaequales; secundarii 4-6 lin. longi; utrique tenues, glabri, leves. *Flos* sessilis, in umbellae centro. *Petala* flavescentia, integra, obtusa (non lunata). *Capsulae* glabrae, parvae. *Semina* plumbea. *Habitus E. peplus.*

EUPHORBIA *PTEROCOCCA. Brot.*

E. umbella quinquefida-trifida-bifida vel dichotoma, foliis involucrisque oblongo-spathulatis basi attenuatis antice argute serrulatis, involucellis ovatis, capsulis immaturis hexagono-alatis, adultis trigonis angulis bialatis, seminibus subrotundis rufescentibus excavato-reticulatis. *Brot. phyt. lusit. n. 76.*, ex *Spr. nov. entd. 3. p. 314*, et *s. veg. 3. p. 799.*

E. bialata, foliis obverse-oblongis, involucri involucellique phyllis oblongis ovatisque antice serrulato-dentatis, umbella quinquefida-dichotoma, petalis rotundatis, capsulae coccis carinis duabus distantibus alatis. *Link. en. alt. H. Ber. 2. p. 12?*, ex *Spr. l. c.*

E. stellulata. *Salzaman*, ex *Ziz.* et *Roeper en. euphorb. p. 59*, et ex *Spr. l. c.*

Ic. *nulla.*

In herbidis fruticetis maritimis collium Calabriae orientalis; *Brancaleone*, *Rosete*, *Capo Brazzano.*

Aprili, Majo. ☉

Radix fibrosa, annua. *Caulis* teres, erectus aut adscendens, simplex vel basi ramosus, foliosus, levis, 2-6 pollices longus, glaber. *Rami* floriferi alterni, patentes. *Folia* sessilia, patentia, alterna, plana, enervia, levia, glabra, margine serrulata, apice

obtusiuscula.; infima subrotunda, minora. *Involucri* universalis 5-phylli foliola foliis conformia, basi dente uno aut altero insigniore saepius instructa. *Involucella* primae divisionis involucro similia, foliolo unico latiore breviore subrhomboideo; reliqua cordata, serrulata, basi inaequalia. *Ramuli* floriferi erecto-patentes. *Umbella* quinquefida-dichotoma vel bifida, radiis approximatis; ramorum vero trifida-dichotoma *Flos* sessilis in umbellae centro. *Petala* integra, non lunata. *Styli* tres, bifidi. *Capsula* erecta, superficie punctis remotissimis aliquando exasperata, immatura sexsulcata ob angulorum membranam denticulatam et acutam; matura vero trigona evadit, et tunc anguli bialati videntur; ideoque forma capsulae a caeteris speciebus omnino dissimilis. *Habitus E. peplus*, vel *E. minimae Hortul.*

EUPHORBIA *PINEA*. *Lin.*

E. umbella 5-7-fida bifido-dichotoma, involucellis subcordato-reniformibus integerrimis concavis, petalis lunatis, capsula angulis verruculosa, seminibus excavato-punctatis, foliis inferioribus linearibus confertis, superioribus latioribus ovato-lanceolatis subtrilobis, caule basi suffruticoso. *Lin. s. veg. p. 376. Will. sp. pl. 2. p. 913. Pers. syn. 2. p. 17. Biv. man. 4. p. 19. Spr. s. veg. 3. p. 379.*

E. caespitosa. *Ten. fl. nap. 1. p. 313.* in *add. et emen.*

E. linifolia, *ejusdem l. c. prod. p. 29.*

Ic. *Biv. l. c. t. 5.*

Tithymalus linifolius, major, italicus. *Barr. ic. 821.*

In collibus calcareis maritimis Japygiae; *Taranto, Leuca, Castro.*

Aprili, Majo. ♄

Cl. *Spr.* in *s. veg. l. c.* male sub *E. segetali* refert synonymon *E. caespitosae Ten.*, nam ab *E. linifolia* ipsius auctoris certe non differt, quae ab ipso *Sprengelio* sub *E. pinea* citatur.

EUPHORBIA *CERATOCARPA. Ten.*

E. glabra, umbella quinquefida 3-4-fida bifido-dichotoma involucellis ovato-subrotundis mucronatis, capsulis verrucosis, verrucis coadunatis ramosis incurvis, seminibus levibus, foliis lanceolatis acutis integerrimis glaucescentibus, caulibus frutescentibus. *Ten. fl. nap. 1. p. 268. Spr. s. veg. 3. p. 800.*

Tithymalus folio longo, glauco, caule rubro, capsulis verrucosis, elatior, siculus. *Raj hist. 872.*

Ic. *Ten. l. c. t. 48.*

Ad sepes, et in humentibus mari finitimis Calabriae orientalis, *da Reggio a Capo Brazzano, S. Leonardo, Cotrone, Crucoli;* Dauniae, *Barletta nel letto del fiume Ofanto.*

Majo, Julio. ♄

EUPHORBIA *MYRSINITES. Lin.*

E. umbella multifido-dichotoma, involucellis subrotundo-reniformibus, petalis bicornibus laciniis apice subincrassatis, capsulis trigonis ovatis levibus, seminibus longitudinaliter corrugato-rugosis, foliis spathulato-ovalibus margine leviusculis obtusis mucronatis coriaceis glaucescentibus confertis inferioribus deflexis, caulibus decumbentibus. *Lin. sp. pl. 661. Amoen. acad. 3. p. 128*, excluso synonymo *H. Cliffort.*, et *H. Upsaliensis. Syst. veg. ed. XIII. p. 378. Sp. pl. ed. XIV. p. 454. Will. sp. pl. 2. p. 921. Lam. dict. enc. 2. p. 438. Ten. fl. nap. pr. p. 29. Marsch. fl. taur. cauc. 1. p. 376*, exclusa ab his synonyma omnia, praeter illud *Bauhini* et *Sauvagesii. Spr. s. veg. 3. p. 801*, excluso synonymo *E. Baselicis Ten. Sauv. monsp. 51.*

Tithymalus myrsinites, latifolius. *Bauh. pin. p. 290*, exclusis quamplurimis synonymis. *Bauh. hist. 3. p. 674*, descriptio non icon.

Ic. T. myrtifolius, minor, supinus, lato folio brevi. *Cup. panph. sic. 1. t. 19. Raf. t. 35.*

In collibus aridis calcareis vel montosis Aprutii; *Roccaraso, Revisondoli, Scanno, S. Demetrio, Aquila, falde basse del Morrone e della Majella*, una cum *E. nicaensi* : forsan etiam in montosis Calabriae; sed nunquam apud nos in maritimis.

Julio, Augusto. ♄

Descriptio Linnaeana *amoen. acad. 3. p. 198* optima, et cum hac nostra omnino ex asse conveniens: tamen species certe a sequente diversa, sed quoad synonyma et loca natalia saepe cum illa confusa. *Linnaeus* in *H. Cliff. 199.* sequentem describere videtur ex his verbis, *foliis confertis superioribus reflexis latioribus lanceolatis*, et ex loco natali, quia in Calabria prope *Reggio* illam provenire auctoritate *Raj* tradit; et equidem sola *E. biglandulosa*, et non *E. myrsinites* in maritimis Calabriae vegetat. Etiam *E. myrsinites Horn. H. Hafn.* ad sequentem spectat ob *folia lanceolata*. Interim *Linnaeus* in *sp. pl.* et in *amoen. ac. l. c.* aliam diagnosim praebet, quae ad *E. myrsiniten* nostram spectat ob *folia spathulata patentia*, ec; sed tunc omnia synonyma quae vir Clarissimus in *H. Cliff.* ad hanc traxit, excludenda erant, utpote ad sequentem spectantia. Hinc nihil mirum si Cl. *Brocchi*, in *Bibl. it. v. 14. p. 372.* doleat quod icon *Clusii*, et inde illa *Lobelii* cum plantis a se in Aprutio collectis, ubi sola nostra *E. myrsinites* provenit, non bene conveniant. Sola icon optima hujus speciei mihi hactenus cognita extat in *Cupani panph.* et in *edit. tertia* a *Rafin.* facta *ll. cc.* Hinc icones omnes veterum ad sequentem amandavi; quae aliunde cum sit verus *Tithymalus myrsinites* illorum, potiori jure triviale nomen *E. myrsinites* merebatur, sed ne confusio nominum augeatur nihil immutavi. Praeterea si bene

perpendantur, quae de hac planta extant apud *J. Bauhin. l. c.* clare patebit veteres has duas diversas species cognovisse; et equidem haec nostra erit *Tithymalus myrsinites Anguillarae, Camerarii* et *J. Bauh.* ex loco natali et descriptione.

EUPHORBIA *BIGLANDULOSA. Desf.*

E. umbella multifida-bifida, involucellis cordato-reniformibus, petalis bicornibus laciniis concoloribus glanduloso-clavatis, capsulis cylindraceis seminibus subtetragonis levibus cinereis, foliis coriaceis imbricatis glaucescentibus lanceolatis acutis mucronatis senioribus deflexis, caulibus erectiusculis. *Desf. cor. Tour. p. 88. Poir. dict. enc. sup. 2. p. 621.*

E. myrsinites. *Lin. H. Cliff. p. 199,* et *H. Ups. 141,* non *sp. pl. Horn. en. H. Hafn. p.*

T. myrsinites. *Raj. hist. 2. p. 865!* ex loco.

Ic. *Desf. l. c. t. 66.*

Tithymalus myrsinites Matthioli. *Cup. panph. sic. 1. t. 218. Bon. t. 158,* optimae.

T. myrsinites legitimus. *Clus. hist. 2. p. 189.*

T. myrsinites. *Matth. comm. 2. p. 589.*

T. myrsinites primus. *Tabern. p. 989.*

T. myrsinites latifolius. *Moris. hist. 3. p. 337. s. 10. t. 1. f. 21.*

T. myrsinites. *Bauh. hist. 3. p. 674,* icon, non descriptio.

T. myrtifolius. *Lob. ic. 355.*

T. myrsinites, seu foemina. *Dalech. hist. p. 1642*, icon ex *Matthiolo.*

T. myrsinites, melius expressus. *Dalech. l. c. p. 1643*, omnium melior.

In saxosis collibus maritimis Calabriae orientalis; da *Reggio a Capo di Bova*, et inde rara usque *a Cariati.*

Martio, Aprili. ♄

Caules erecti, adscendentes vel deflexi, glaberrimi, pedales vel sesquipedales, plures ex eadem radice, inferne a casu foliorum cicatrisati. *Folia* glaucescentia, conferta, sparsa, coriacea; inferiora deflexa; superiora erecto-patentia, adpressa; omnia enervia, margine integerrima, et non cartilaginea, superne parum concava, inferne convexa, obsolete carinata, 3-4 lin. lata, pollicem et ultra longa, spiraliter disposita. *Involucri* foliola spathulata, integerrima, mucronata. *Flos* sessilis in umbellae centro. *Radii* umbellae vix pollicares, saepe bifidi. *Involucella*, rhomboideo-subrotunda, mucronata, integerrima. *Petala* bicornia, laciniis potius incrassatis et dentato-retusis, quam re vera glandulosis, una cum involucris involucellis et radiis flavescentia. *Appendices* acutae, conniventes, carinatae, ciliatae. *Capsulae* glabrae, glaucescentes, erectae. *Semina* levia, non ut in praecedente corrugato-rugosa, tamen magis angulata. *Pedunculi* floriferi sub umbellis nulli.

Affinis *E. rigidae*, *Marsch. fl. taur. cauc. 1.*

p. 375, cum qua conjuncta. 1-a Cl. *Spr.* in *s. veg. 3. p. 801*, sed ex observatione *Marschallii l. c. v. 3. p. 327* differt foliis minus rigidis et confertis, floribus pulchre luteis, nec segmentis calycinis fusco-purpureis; praeterea ex ipsius descriptione semina in *E. rigida* sphaeroidea, albida; in nostra cylindracea et cinerea sunt. Quantum ex observatione *Linkii* ad *E. myrsiniten* in *H. Ber. en. alt. v. 2. p. 17.* adjecta conjicere licet, etiam *E. foetidae Fl. Port.* nostra affinis est; sed cum apud auctores, quos mihi consulere licuit, nullam hujus speciei descriptionem invenerim, sic sit ne diversa, affirmare haud valeo.

DODECANDRIA–DODECAGYNIA.

SEMPERVIVUM *TENUIFOLIUM. Sibth.*

S. foliis subulatis inferioribus basi dilatatis vaginantibus, caulinis adnato-sessilibus basi productis, floribus 7-10-gynis, propaginibus cylindraceis *Sibth.* ex *Smith. fl. gr. pr. 1. p. 335.*

Sedum rostratum. *Ten. fl. nap. pr. p. 26.*

S. amplexicaule. *Dec. fl. fr. supp. p. 526! Spr. s. veg. 2. p. 455.*

S. carinatum *Link.*, et Sempervivum anomalum *Lag.*, ex *Spr. l. c.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 474*, ex prod.

Sedum minus luteum; acuto folio, flore grandiusculo, ad terram spicis ambitum. *Cup. panph. sic. 1. t. 169.*

In aridis collibus Calabriae; *Reggio.*

Majo, Junio. ♃

Habitus potius *Sedi* quam *Sempervivi*, et *S. rupestri* omnino similis. *Propagines* cylindricae fibrillas radiciformes undique emittentes. *Folia* caulina basi in membranam scariosam fere triangularem producta. *Petala* lutea, fere linearia, acuminata, calycibus duplo longiora. *Capsulae* rostratae. Specimina cretica Sieberiana cum *Sedo rostrato* omnino conveniunt. Iconem *Fl. gr.* non vidi.

CLASSIS XII.

ICOSANDRIA–MONOGYNIA.

PUNICA *GRANATUM*. *Lin.*

P. caule arboreo, foliis lanceolatis, floribus subsessilibus. *Lin. sp. pl. 676. Will. sp. pl. 2. p. 981. Pers. syn. 2. p. 33. Lam. dict. enc. 3. p. 31. Spr. s. veg. 2. p. 490.*

Ic. *Lam. ill. gen. t. 415. Duham. arb. ed. nov. v. 4. t. 11.*

Mala punica. *Matth. comm. 1. p. 205.*

In fruticetis maritimis Calabriae orientalis; *marina di Roseto.*

Aprili, Majo. ♄

ICOSANDRIA-PENTAGYNNA.

MESPILUS *TOMENTOSA. Ait.*

M. inermis, foliis ellipticis integerrimis utrinque obtusis subtus tomentosis, calycibus pedunculisque lanatis, baccis pentaspermis. *Ait. Kew. 2. p. 174. Will. sp. pl. 2. p. 1012,* non *Lam. Pers. syn. 2. p. 39. Spr. s. veg. 2. p. 505.*

M. eriocarpa. *Dec. syn. pl. gall. p. 331,* et *fl. fr. supp. p. 532. Poir. dict. enc. supp. 4. p. 71.*

Cotoneaster tomentosa. *Dec. pr. s. nat. 2. p. 632.*

Ic. *nulla.*

In rupestribus, vel saxosis montium Aprutii; *Majella nella vallata di S. Spirito, e nella valle dell' Inferno.*

Majo, Junio. ♄

Radix lignosa, obliqua, in locis humo repletis hinc illinc serpens, et caules proferens. *Caules* lignosi, glabri, scabri, rubentes, crassitie digiti vel pennae anserinae, 2-3-pedales, ramosi; ramis erecto-patentibus, alternis, junioribus pilis rufescentibus adpressis hispidis. *Folia* supra intense virentia, subtus

albida, nervosa, tomento brevi adpresso; apice obtusa vel aliquando emarginata, basi aequalia vel obliqua, 1-2 poll. longa, ½ - 1 ½ pol. lata, breviter petiolata; petiolis semiteretibus, canaliculatis, subtomentosis, 2-3 lin. longis. *Stipulae* lanceolato-lineares, adpressae, persistentes, piloso-hispidae, acutae, petiolis subaequales, rufescentes. *Flores* racemoso-corymbosi, axillares vel terminales; pedunculis pubescentibus, superioribus brevioribus, in fructu cernuis, bracteatis; bracteis sparsis lineari-setaceis. *Calyx* turbinatus, obtuse 5- dentatus, una cum pedunculis aetate glabratus. *Petala* albida, brevia.

PYRUS *CUNEIFOLIA. Nob.*

P. foliis oblongo-ovalibus crenulatis basi cuneatis, junioribus subtus floccoso-pubescentibus adultis glaucescentibus glabratis, pedunculis corymbosis, junioribus calycinisque dentibus lanceolatis lanato-tomentosis, petalis obcordatis, fructibus globosis.

Ic. *nostra t. 39.*

In collibus aridis, et ad sepes Calabriae orientalis, Lucaniae, Japygiae, Peucetiae, Dauniae.

Martio, Aprili. ♄

Frutex vel *arbor ramis* flexuosis, subtortuosis, spinescentibus. *Folia* plus minusque oblongo-lanceolata, acuta vel obtusiuscula, adulta subtus venis subobliteratis reticulata; 1-1 ½ pollices longa, vix

semipollicem lata, apice aliquando obtusiuscula, nunquam basi cordata sed cuneata, juniora rosulata. *Petioli* semiteretes, canaliculati, glabri vel pubescentes, foliis duplo triploque breviores, 4-10 lin. longi, eglandulosi. *Pedunculi* 4-10, teretes, subpollicares. *Flores* albidi, vel pallide rosei. *Calyces* tomentoso-lanati, 5-dentati; dentibus reflexis, lanceolatis, acutis, 2-lin. longis. *Petala* oboyata, obtusissima, non emarginata, 5-6 lin. longa, 3-4 lin. lata. *Fructus* rotundi, aliquando utrinque parum depressi, calyce coronati, diametro vix semipollicari vel minore, semper acerbi, et usque ad serum autumnum ramis adhaerentes.

Affinis *P. parviflora*, *Desf. cor. Tour. p. 78. t. 58*, sed flores et fructus in nostra duplo majores, folia basi fere cuneata, nec ut in illa obtusa. Etiam *P. salicifolia* valde proxima, sed folia nunquam subtus dense tomentosa: et fructus non turbinati sed globosi.

MESEMBRYANTHEMUM *GLACIALE*. *Haw.*

M. caule prostrato diffuso ramoso, foliis ovato-oblongis pellucido-papulosis, floribus sessilibus. *Haw.* ex *Spr. s. veg. 2. p. 512.*

M. cristallinum. *Will.*, et *Sibth.* ex *Spr. 1. c.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 481*, ex prodr.

In ruderatis et in aridis collibus maritimis Japygiae; *Gallipoli presso la Città, Taranto.*

Aprili, Majo. ⊙

[illegible] NODIFLORUM. *Lin.*

M. [illegible], foliis teretiusculis alternis oppositisque [illegible] basi ciliatis. *Lin. sp. pl. 687. Will. sp. pl. 2. p. 1043. Lam. dict. enc. 2. p. 475. Pers. syn. 2. p. [illegible]. Spr. s. veg. 2. p. 513. Ten. fl. nap. [illegible]*

Ic. *Dec. pl. gras. t. 88.*

Kali neapolitanum, aizoides, repens. *Column. [illegible]*

In [illegible] maritimis calcareis subarenosis Calabriae orientalis. *Reggio a Capo dell' armi, Capo [illegible], Capo Colonna, S. Leonardo; [illegible]*

[illegible]

[illegible] HISPANICUM. *Lin.*

A. caule erecto ramoso, ramis patentibus erectisque, foliis lineari-lanceolatis planis floribusque solitariis sessilibus. *Lin. sp. pl. 700. Will. sp. pl. 2. p. 1054. Lam. dict. enc. 3. p. 418. Pers. syn. 2. p. 45. Dec. pl. gras. v. 1. p. 30. Spr. s. veg. 2. p. 505.*

Ic. *Dec. l. c. t. 30.*

Ficoidea hispanica, annua, folio longiore. *Dill. elth. t. 117. f. 143.*

In depressis marnaceis maritimis Calabriae orientalis, aestu maris inundatis, *fra Capo Pa-*

lizzi, e Capo Spartivento (tra Melito e Brancaleone).

Aprili, Majo. ⊙

Caulis erectus, 1-7 poll. altus; *ramis* diffusis, adscendentibus erectisque, alternis. *Folia* crassa, 1-2 pollices longa, 1-4 lin. lata, supra plana, subtus vix carinata, obtusa, sessilia, amplexicaulia, integerrima. *Flores* axillares, solitarii, in bifurcatione ramorum, et terminales. *Calyces* turbinati, angulati, externe virides, interne albidi. *Capsula* turbinata, pentagona, apice truncata, quinqueradiata. *Semina* nigra, subrotundo-reniformia, sub lente sulcis concentricis parallelis pulchre striata. Tota planta tecta *glandulis* virescentibus, quae in planta exsiccata verrucas mentiuntur.

SPIRAEA *FLABELLATA. Bertol. ined.*

S. caule fruticoso, foliis ramorum sterilium cuneiformibus obovatis apice truncatis trilobo-incisis ciliatis inferne pubescentibus, fertilium oblongo-spathulatis glaberrimis integris tridentatisque obtusis omnibus basi angustatis subtriplinerviis, corymbis lateralibus sessilibus.

S. chamaedrifolia. *Ten. fl. nap. pr. app. 4. p. 9*, non *Lin.*

S. hypericifolia *γ. Dec. fl. fr. supp.* in *addit. p. 645.*

Ic. *nostra t. 40.*

Hypericum fruticans, candidum, Robini. *Barr. ic. 564.*

In collibus glareosis calcareis Aprutii; *S. Demetrio presso Aquila, e presso Trasacco sul lago Fucino.*

Majo, Junio. ♄

Radix lignosa, inter lapides excurrens, et caules plures approximatos emittens; qui fruticosi, erecti, superne in ramos divisi, rubentes vel glaucescentes, leves, glabri, 2-5- pedales; juniores virgati, simplicissimi, obsolete angulati, semper intense rubentes. *Folia* pallide virentia, subcoriacea, basi in petiolum attenuata; in ramis junioribus solitaria, sparsa, apice subtriblo-incisa, lobo medio integro acuto, lateralibus extrorsum dentato-serratis, nervis tribus subtus prominulis, 3-6 lin. lata, ½ - 1. poll. longa: in ramis floriferis solitaria vel rosulata, saepius integra, raro 2-3-dentata, glabra, nervis subtus obliteratis, 1 ½ - 3 lin. lata, ½ - 1, poll. longa. *Corymbi* laterales, sessiles, sat raro pedunculati; pedicellis sparsis, glabris, ebracteatis, superioribus brevioribus. *Calyx* brevis, campanulatus, glaber, nervosus, 5-dentatus, dentibus acutis. *Petala* alba, obovata, calyce duplo longiora. *Capsulas* perfectas non vidi.

Affinis *S. oblongifoliae Wald.* et *Kit. pl. rar. hun. 3. p. 261. t. 235;* sed differt, habitu, foliis obtusis, imo junioribus fere truncatis, superioribus subfasciculatis, corymbis sessilibus non pedunculatis, calycinis dentibus acutis.

SPIRAEA *DENUDATA. Presl.*

S. caule herbaceo, foliis interrupte pinnatis concoloribus glabris subtus ad venas pubescentibus, pinnis cordato-ovatis impari majore triloba, floribus corymbosis polygynis. *Presl. fl. cechica p. 101.*

S. ulmarioides *Bory. S. Vincent.*

S. ulmaria. *Ten. fl. nap. pr. p. 30.*

Ic. *nulla.*

In pratis humidis elatioribus Aprutii; *Pesco costanzo Revisondoli.*

Julio, Augusto. 4

Habitus S. *ulmariae*, sed folia supra glaberrima, subtus ad nervos tantum pubescentia, caeterum undique glabra. Petala alba.

RUBUS *SAXATILIS. Lin.*

R. flagellis reptantibus herbaceis subinermibus, foliis ternatis, foliolis rhombeis acutis inciso-dentatis glabris, floribus subcorymbosis (paucis), petalis linearibus. *Lin. sp. pl. 708. Will. sp. pl. 2. p. 1088. Pers. syn. 2. p. 52. Poir. dict. enc. 6. p. 237. Dec. pr. s. nat. 2. p. 564. Spr. s. veg. 2. p. 582.*

Ic. *Fl. dan. 134.*

R. saxatilis, alpinus. *Clus. hist. 1. p. 118.*

R. alpinus, humilis. *Bauh. hist. 2. p. 61.*

In umbrosis et humidis nemoribus montium Aprutii inter saxorum rimas; *Majella nella vallata*

di S. Spirito, nella valle di Orfenta, ed in quella dell' Inferno.

Julio, Augusto. ♄

Species a caeteris facillime distinguenda, *foliis* glaberrimis, margine tantum ciliatis, laete virentibus, concoloribus; *fructibus* ruberrimis, glaberrimis, acinis 3-4 constantibus, et figura ab aliis omnino dissimilibus; *seminibus* irregulariter excavato-reticulatis, majusculis.

POTENTILLA *SUPINA*. *Lin.*

P. caule humifuso dichotomo, foliis pinnatis glabriusculis, foliolis oblongis inciso-serratis, stipulis ovato-lanceolatis integerrimis, pedunculis axillaribus subsolitariis, fructiferis reflexis. *Lin. sp. pl. 711. Will. sp. pl. 2. p. 1099. Pers. syn. 2. p. 54. Poir. dict. enc. 5. p. 588. Poll. fl. ver. 2. p. 157. Dec. pr. s. nat. 2. p. 580. Spr. s. veg. 2. p. 535.*

Ic. *Jacq. austr. 5. t. 406.*

Pentaphyllum supinum quorumdam, Potentillae facie. *Clus. hist. 2. p. 107.*

In humentibus Aprutii; *Avezzano sulle sponde del Lago Fucino.*

Septembri, Octobri. ☉

Petala calyce breviora non longiora, ut ex *Poir. Radices* annuae non perennes, ut in *Pollinii* descriptione.

POTENTILLA *APPENNINA. Ten.*

P. caule basi caespitoso lignoso, cauliculis floriferis annotinis monophyllis filiformibus subtrifloris, foliis omnibus ternatis utrinque argenteo-sericeis, foliolis radicalibus ovalibus apice obtusis integris 2-3-dentatisve, caulinis angustis linearibus integris, petalis obovatis longe unguiculatis calyce duplo longioribus, receptaculis lanatis. *Ten. fl. nap. v. 1. p. 191. Dec. pr. s. nat. 2. p. 585.*

Ic. *Ten. l. c. t. 46.*

Heptaphyllum argenteum, alpinum, trifoliatum, longius radicatum, saxatile, sabaudum. *Bocc. mus. t. 9. f. 4.*

In rupibus calcareis elatioribus montium Aprutii; *Majella, Morrone, Monte Corno; Monte Intermesole, Monte Costone.*

Julio, Augusto. ♄

Flores tres terminales corymbosi, vel unicus. Dum sunt tres, flos intermedius habet calycem 10-fidum, corollam 5-petalam; laterales vero calycem 8-fidum, corollam 4-petalam. *Calycis* foliola alterna minima, linearia. *Petala* albida, aliquando cum suffuso rubore, foliolis calycinis minoribus opposita, glabra, non emarginata, obtusa; *laminis* obovatis, plicato-concavis; *ungue* lineari, 1 ½ lin. longo. *Semina* hispidiuscula, *stylis* persitentibus coronata.

Cl. *Moretti* in *dec. pl. Ital. 5. p. 6.* suspicatur hujus speciei petala esse fugacissima, cum ex permultis exemplaribus siccis inspectis unicum tantum corolla instructum viderit. At hoc minime verum, nam petala semper adsunt, et solummodo in calidissimis diebus nisi specimina chartis consignentur, post 8-10 horas, facillime decidunt, quod etiam in aliis speciebus accidit. Interim observatu dignum in hac specie est, quod caulis, qui in planta viva semper rectus, nisi specimina in exsiccatione arcte comprimantur valde flexuosus evadit. Hoc monendum putavi, ne exteri Botanici plantas siccas inspicientes in errorem incurrant. Affinis *P. nitidae*, sed ab hac constanter diversa, et male cum illa confusa a Cl. *Spr.* in *s. veg. 2. p. 542.* Confer quoque *Moretti bot. ital. p. 26.*

CLASSIS XIII.

POLYANDRIA--MONOGYNIA.

CAPPARIS *OVATA. Desf.*

C. caulibus lignescentibus, stipulis spinosis uncinatis, foliis ellipticis oblongisque deciduis apice spinula incurva munitis, junioribus pubescentibus, pedunculis solitariis unifloris folio longioribus, bac-

cis pyriformibus. *Desf. atl. 1. p. 404. Will. sp. pl. 2. p. 1131*, et *en. H. Ber. 1. p. 560. Pers. syn. 2. p. 59.*

C. Fontanesii. *Dec. pr. s. nat. 1. p. 245. Spr. s. veg. 2. p. 572.*

Ic. Capparis duplicata spina, folio acuto. *Cup. panph. sic. 2. t. 87*, bona. *Bocc. sic. t. 42. f. 3*, mediocris.

In arvis argillosis Calabriae orientalis, *da Melito a Spartivento, Catanaro al fiume Magliacane, Cariati, Corigliano, Cassano, Roseto;* ubique in argillosis Dauniae.

Junio, Augusto. ♄

Caules quamvis lignosam consistentiam acquirant, et fruticosi evadant, tamen in Daunia annotini certe sunt; nam hyemali tempestate omnino exsiccantur, et verno tempore novi rursus e radice erumpunt, dum in Calabria et in nonnullis Siciliae locis perennantes vidi. Haec nostra ab icone *Bocconii* non discrepat, nisi foliis magis elongatis, sed a plantis in Sicilia lectis in locis a *Bocconio* indicatis non differt; nec *baccae* in utrisque ovales, sed pyriformes sunt.

Ab hac specie, et minus frequenter a *C. spinosa* vel a *C. rupestri Sibth.* (quae invenitur in maritimis rupibus calcareis ac ad muros vetustos Peucetiae, *a Polignano, Mola;* Japygiae, *a Leuca Castro;* Calabriae orientalis, *a Roccella*) colliguntur apud nos Capparides.

*

CAPPARIS *HERBACEA. Will.*

C. caulibus lignescentibus, stipulis spinosis rectis, foliis ellipticis ovatisque deciduis apice spinula incurva munitis junioribus pubescentibus, pedunculis solitariis unifloris folio longioribus, baccis. . . . . *Will. en. H. Ber. 1. p. 560. Dec. pr. s. nat. 1. p. 245. Spr. s. veg. 2. p. 572.*

C. ovata. *Marsch. fl. taur. cauc. 3. p. 1*, exclusis synonymis.

Ic. *Reich. pl. cr. cant. 3. t. 281. f. 444.*

In argillosis collibus Aprutii; *Atri*, *Chieti*, *Francavilla.*

Junio, Augusto. ♃ et basi ♄

Species quoad *habitum*, *caules*, *folia*, et *flores* ita praecedenti similis ut ovum ovo, et nonnisi *stipulis* rectis non vero uncinatis diversa. An et *baccis* differant dicere nequeo, quia illas hujus speciei non vidi; quae si similes sunt, potius varietates quam species diversae habendae erunt, cum etiam Cl. *Marsch. l. c. p. 361* moneat de sua *C. ovata*, » cultam in tepidario saepe fruticosam fieri, et » *C. spinosae* assimilari nunciat *Fischer* in litteris. »

HELIANTHEMUM *TUBERARIA. Pers.*

H. caulibus basi perennantibus caespitosis, floriferis annotinis adscendentibus simplicibus, foliis radicalibus in petiolum desinentibus ovato-oblongis

tomentoso-hirsutis canescentibus, caulinis superioribus lanceolatis glaberrimis alternis, pedicellis basi bracteatis corymboso-paniculatis, calycibus glabris nitidis. *Pers. syn. 2. p. 77. Dec. pr. s. nat. 1. p. 270. Spr. s. veg. 2. p. 587. Ten. fl. nap. pr. p. 31.*

Cistus tuberaria. *Lin. sp. pl. 741. Will. sp. pl. 2. p. 1197. Lam. dict. enc. 2. p. 22.*

Ic. *Cav. ic. 1. t. 67.*

In collibus calcareis aridissimis Calabriae, *Scilla sopra il piano di Scrisi;* Japygiae, *Otranto, Lecce.*

Majo, Junio. ♄

HELIANTHÉMUM *SESSILIFLORUM. Pers.*

H. caule suffruticoso erecto vel adscendente ramosissimo, ramis pubescentibus, foliis oppositis alternisque angusto-linearibus brevissime tomentosis cinereis margine revolutis, stipulis linearibus brevibus, floribus in pedunculo elongato spicatis secundis. *Pers. syn. 2. p. 78. Dec. pr. s. nat. 1. p. 273. Spr. s. veg. 2. p. 589.*

Cistus sessilifolius. *Desf. atl. 1. p. 417. Will. sp. pl. 2. p. 1202. Poir. dict. enc. supp. 2. p. 274.*

Ic. *Desf. l. c. t. 106.*

In arenosis maritimis, et in collibus aridis Japygiae; *Taranto fra l' imboccatura del fiume Patrinisco, e l' acqua della palude.*

Aprili, Majo. ♄

HELIANTHEMUM *VIRIDE. Ten.*

H. caule suffruticoso adscendente glabro, foliis oppositis (aliquando fasciculatis) linearibus margine revolutis laete virentibus acutis stipulatis, stipulis subulatis folio minoribus, pedunculis racemosis calycibusque villosis. *Ten. fl. nap. 1. p. 299. Dec. pr. s. nat. 1. p. 275. Spr. s. veg. 2. p. 591.*

Ic. *Ten. l. c. t. 47.*

H. thymifolio glabro. *Cup. panph. sic. 2. t. 262.*

In collibus aridis calcareis Japygiae, *Taranto, Avetrana;* ubi quoque proveniunt *H. Barrelieri*, et *H. salicifolium*, quae et in Calabria orientali pariter occurrunt.

Majo, Junio. ♄

HELIANTHEMUM *ERICOIDES, b. pubescens. Dec.*

H. caule suffruticoso erectiusculo, foliis alternis crassiusculis imbricatis semicylindricis glabriusculis, pedunculis solitariis unifloris subopposititoliis terminalibusve folio longioribus ramorumque summitatibus pubescentibus, capsulis patentibus nudis. *Dec. pr. s. nat. 1. p. 274.*

Ic. *nulla* pro hac varietate.

In collibus aridis calcareis Japygiae; *Taranto, Gallipoli, Leuca.*

Aprili, Majo. ♄

HELIANTHEMUM *ARABICUM*. *Pers.*

H. caule suffruticoso adscendente stipulato hirsuto, ramis virgatis, foliis caulinis superioribus alternis lineari-oblongis hirsutis subsessilibus, inferioribus oppositis linearibus glabris confertis, pedunculis solitariis unifloris sub-oppositifoliis terminalibusque, calycibus hirsutis. *Pers. syn. 2. p. 80. Dec. pr. s. nat. 1. p. 275*, et *Spr. s. veg. 2. p. 590*, excluso ab utrisque synonymo *H. Savii*, *Bertol.*

Cistus arabicus. *Lin. sp. pl. 745. Will. sp. pl. 2. p. 1211. Vahl. symb. bot. 2. p. 62. Desf. atl. 1. p. 419.*

C. ferrugineus. *Lam. dict. enc. 2. p. 25*, excluso synonymo *Barr. ic. 285*, ad *H. Savii* forsan spectante?

Ic. *Vahl. l. c. t. 35.*

b. pilis glutinoso-viscosis undique tectum.

In collibus aridis Calabriae orientalis, *da Regio a Spartivento*, *Capo di Cutaro*: var. *b.* in Japygia, *Gemini*, *Uggento*.

Aprili, Majo. ♄

Stipulae in foliis inferioribus minutissimae setaceae, in superioribus lineari-lanceolatae latiores, petiolo adnexae. *Pedicelli* 5-6 longi, divaricati vel horizontales. *Corolla* lutea, vel sulfurea, diametro semipollicari et ultra; *petalis* basi ciliatis, integris, concoloribus. *Capsulae* majusculae, fructiferae cernuae.

POLYANDRIA-PENTAGYNIA.

NIGELLA *ARVENSIS. b. glaucescens. Nob.*

N. antheris apiculatis, stylis 5-7, externe circinatim revolutis, capsulis levibus in fructum conicum basi angustatum ultra medium connexis, foliis glaucescentibus rigidis costa petiolisque muricato-ciliatis, caule glabro inferne muricato-scabro ramis subdivergentibus.

Ic. *nulla.*

In arenosis maritimis Calabriae orientalis, *Siderno, Francavilla, Cotrone;* Japygiae, *Taranto;* Peucetiae, *Monopoli.*

Majo, Junio. ⊙

Habitus robustior quam in specie. *Caulis* solidus, angulatus, raro teres, erectus, flexuosus, ramosus, striatus, ad angulos muricatus, glaber. *Rami* erecti vel patentes, alterni, inferiores magis divaricati. *Folia* inferiora petiolata, petiolis canaliculatis; patentia, bipinnatifida; laciniis subcuneiformibus, trifidis vel bifidis, obtusiusculis, glabris, subtus costa muricatis, planis: superiora sessilia, caeterum inferioribus conformia. *Petala* et *nectaria* ut in specie; sed illa obtusiora, minusque in apicem producta, et margine saepius denticulata, ungue breviore. *Antherae* violaceae, lanceolatae,

apiculatae. *Pistilla* quinque, *stylis* spiraliter contortis.

Cum *N. divaricata Dec. s. nat. 1. p. 320*, et *Deless. ic. selec. 1. t. 46*, habitu, foliis, et nectariis convenit; sed in nostra styli sunt circinnatim revoluti, non erectiusculi; petioli, caules et rami inferne muricato-scabri.

POLYANDRIA-POLYGYNIA.

CLEMATIS *CIRRHOSA. Lin.*

C. caule altissime foliolorum petiolis scandente, foliis caulinis simplicibus ovato-subcordatis dentatis fasciculatis, ramorum juniorum ternatis foliolis ovatis, pedunculis unifloris axillaribus, floribus pendulis involucro urceolato integro cinctis, petalis ovato-oblongis externe sericeo-lanatis, interne concoloribus. *Lin. sp. pl. 766. Will. sp. pl. 2. p. 1287. Lam. dict. enc. 2. p. 42. Dec. s. nat. 1. p. 162. Ten. fl. nap. 1. p. 307. Spr. s. veg. 2. p. 664.*

Atragene cirrhosa. *Pers. syn. 2. p. 98.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 517*, ex prodr.

C. altera, boetica. *Clus. hist. 1. p. 123. f. 1.*

Ad sepes, in dumetis et maceriis, ad agrorum margines Calabriae orientalis, *da Reggio a Siderno, Cirò;* Japygiae, *Taranto, Marruggi, Avetrana, Nardò, Racali, Lecce;* Peucetiae, *Mola, Bari.*

Septembri, Octobri. ♄

THALICTRUM *FOETIDUM*. *Lin.*

T. foliolis ovatis sub-3-fidis irregulariter obtuse-dentatis cauleque simplici viscido-pubescentibus, panicula patente, antheris elongatis cuspidatis, floribus cernuis. *Lin. sp. pl. 768. Will. sp. pl. 2. p. 1295. Pers. syn. 2. p. 100. Poir. dict. enc. 5. p. 321. Dec. s. nat. 1. p. 176. Spr. s. veg. 2. p. 673.*

Ic. *Lam. ill. gen. t. 497. f. 3.*

In montosis elatioribus Aprutii; *Majella nella valle dell' Inferno.*

Julio, Augusto. ♃

Icones *Plukn. alm. t. 65. f. 4*, et *Moris. hist. 3. s. 9. t. 20. f. 13.* malae.

ADONIS *DISTORTA*. *Ten.*

A. caule subflexuoso unifloro suberecto, foliis radicalibus petiolatis bipinnato-multifidis ciliatis, laciniis extimis lineari-lanceolatis latiusculis brevibus, seminibus ovatis uncinatis angulato-reticulatis glaberrimis. *Ten. fl. nap. pr. app. 4. p. 10.*

Ic. *nulla.*

b. flore albo.

A. pyrenaica? folia radicalia dissecta exiguis pilis adspersa, petiolis longissimis ad basim membranaceis, in emarcidas pelliculas fatiscentibus, fo-

liolis lanceolatis latiusculis acutis : caulis uniflorus superne pilosiusculus, infra florem foliosus, foliis dissectis vaginantibus. *Brocch.* in *Bibl. ital. tom. 4. n. 66.*

In glareosis montium elatiorum Aprutii; *Monte Costone, Monte Corno; Majella a Monte Amaro:* var. *b. Monte Velino* (*Brocchi*).

Julio, Augusto. 2

Quoad descriptionem *A. pyrenaicae* affinis, sed habitu omnino diversa; praesertim si cum *A. pyrenaica Deless. ic. sel. 1. t. 21.* conferatur. *Caulis* flexuosus vel recurvatus, erectus si bipollicaris; at apice recurvus si 3-4-pollicaris. *Foliorum* laciniae latiores et breviores quam in *A. pyrenaica. Flores* in varietate *a.* lutei.

RANUNCULUS *HEDERACEUS. Lin.*

R. caule repente, foliis omnibus subreniformibus 3-5-lobis, lobis latis integris obtusissimis, petiolis basi membrana amplexante auctis, petalis oblongis (albis) vix calyce longioribus, seminibus levibus glabris. *Lin. sp. pl. 781. Will. sp. pl. 2. p. 1331. Pers. syn. 2. p. 105. Poir. dict. enc. 6. p. 130. Dec. s. nat. 1. p. 233. Spr. s. veg. 2. p. 645.*

Ic. *Fl. dan. 321*, mala quia folia omnia triloba.

R. hederaceus rivulorum, sese extendens, atra macula notatus. *Bauh. hist. 3. p. 782. f. 2?*

R. aquaticus, hederaceus, albus, male luteus

C. B. P. Moris. hist. 2. p. 441. s. 4. t. 29. f. 29.

In uliginosis mari finitimis Calabriae orientalis; *Corigliano, Cassano.*

Majo, Junio. 4

Caulis ad nodos radicans, fere solidus. *Petala* alba, calyci fere aequalia.

Icones superius citatae nostram plantam haud bene referunt, nam in omnibus folia triloba, dum apud nos fere semper 5-loba et exacte reniformia. Iconem *Engl. bot. t. 2003*, quae a *Dec. l. c.* sub hac specie citatur non vidi.

RANUNCULUS *BREVIFOLIUS. Ten.*

R. caule unifloro-incurvo, foliis coriaceis glaberrimis glaucescentibus, radicalibus petiolatis apice trilobis, lobis lateralibus subintegris intermedio usque ad folii tertiam partem producto, caulino sessili cuneiformi tripartito, seminibus glabris levibus stylo circinnato uncinatis. *Ten. fl. nap. pr. supp. 2. p. 68. Dec. s. nat. 1. p. 266.*

Ic. *nulla.*

In glareosis montium elatiorum Aprutii usque ad nives deliquescentes; *Monte Corno, Monte Costone, Monte Intermesole, Majella.*

Julio, Augusto. 4

Radix fusca, transversa, fibras albidas crassiusculas inferne perpendiculariter emittens, non grumosa. *Folia* caulina aliquando duo, sessilia; quo-

rum inferius 5 superius 3-partitum. *Calycis* foliola oblonga, obtusa, glabra. *Petala* lutea. *Semina* subglobosa, latere interiore recto, dorso subcarinata, in capitulum depresso-globosum laxe aggregata, majuscula, aliquando nervosa et sub lente minutissimis punctis notata videntur. Icon *R. Thorae, Sturm. fl. germ. 1. f. 19. t. 8*, a *Dec. l. c.* sub *R. hybrido* relata, *R. brevifolium* omnino refert quoad habitum, et nonnisi foliis obsolete trilobis, lobisque lateralibus crenatis differt; praeterea in quamplurimis plantis loco natali inspectis semper caulem 1-florum vidi, nunquam 2-3-florum, ut in descriptione *R. hybridi* dicitur. Aliunde ambiguum non est hanc speciem a *R. Thora* et a *R. scutato*, qui etiam in Aprutio invenitur, omnino differre, ut cuique plantas vivas inspicienti luce clarius patebit, ideoque male tanquam eaedem species habitae a Cl. *Spr.* in *s. veg. 2. p. 646.*

RANUNCULUS *OPHYOGLOSSIFOLIUS. Vill.*

R. caule erecto vel adscendente fistuloso, foliis subdentatis, inferioribus longius petiolatis subcordatis obtusiusculis, superioribus oblongo-linearibus in brevem petiolum attenuatis, pedunculis oppositifoliis, seminibus granulato-tuberculatis. *Vill. delph. 4. p. 732. Will. sp. pl. 2. p. 1320. Poir. dict. enc. 6. p. 103. Pers. syn. 2. p. 102. Dec. s. nat. 1. p. 248. Spr. s. veg. 2. p. 656. Ten. fl. med. p. 449.*

Ic. *Vill. l. c. t. 49.*

In humidis, et ad rivulos Calabriae orientalis ; *Corigliano, Cassano, Cotrone.*

Majo, Junio. ⊙

RANUNCULUS *ACRIS. Lin.*

R. caule erecto multifloro foliisque subpubescentibus, radicalibus palmato-partitis, lobis incisodentatis acutis, summis linearibus, pedunculis teretibus, calycibus patulis, seminibus levibus stylo subrecto terminatis. *Lin. sp. pl. 779. Will. sp. pl. 2. p. 1326. Pers. syn. 2. p. 105. Poir. dict. enc. 6. p. 114. Dec. s. nat. 1. p. 277. Spr. s. veg. 2. p. 654.*

Ic. *Smith. engl. bot. t. 652.* (ex *Dec. l. c.*)

R. hortensis. *Dod. pempt. 426.*

In pascuis humentibus montosis Aprutii ; *Revisondoli, Pesco Costanzo, Piano di cinque miglia.*

Junio, Julio. 2

Species haec quamvis in Italia septemtrionali vulgatissima sit, tamen apud nos rara.

RANUNCULUS *MILLEFOLIATUS. Vahl.*

R. caulibus 1-3-floris, foliis supradecompositis, laciniis angustis elliptico-linearibus glabris, calycibus patentibus adpressis seminibus levibus in spicam ellipticam dispositis. *Vahl. symb. 2. p. 63. Desf. atl. 1. p. 441. Will. sp. pl. 2. p. 1328. Poir. dict. enc. 6.*

p. 112. Pers. syn. 2. p. 105. Dec. s. nat. 1. p. 256. Smith. fl. gr. pr. 1. p. 384. Ten. fl. nap. 1. p. 379.

Ic. *Vahl. l. c. 37. Desf. l. c. t. 116.*

R. montanus leptophyllus, Asphodeli radice. *Column. ecphr. 1. t. 311.*

In collibus herbidis maritimis Calabriae; *Reggio.*

Aprili, Majo. 4

Icon *Columnae*, a Cl. *Smith. l. c.* sub hac specie primum relata, ad ipsam certe spectat, et minime ad *R. chaerophyllum.*

TROLLIUS *EUROPAEUS. Lin.*

T. caule subsimplici subunifloro, foliis palmatis, laciniis pinnatifidis dentatis, petalis conniventibus, nectariis 5-10 longitudine staminum. *Lin. sp. pl. 782. Will. sp. pl. 2. p. 1333. Poir. dict. enc. 8. p. 121. Pers. syn. 2. p. 106. Dec. s. nat. 1. p. 312. Spr. s. veg. 2. p. 658.*

Ic. *Lam. ill. gen. t. 499.*

Ranunculus flore globoso. *Dod. pempt. 430.*

In pascuis subalpinis humentibus Aprutii; *falde di Monte Corno sopra Pietra Camela*, ubi primus invenit *Orsini; Chiarino alle falde occidentali di Monte Costone.*

Junio, Julio. 4

HELLEBORUS *BOCCONI. Ten.*

H. caule bifido, ramis unifloris, foliis glabris radicalibus caule brevioribus digitato-pedatis, caulinis superioribus sessilibus palmato-pedatis, foliolis basi cuneiformibus 2-5-partito-incisis, laciniis lineari-lanceolatis argute serratis, floribus pedunculatis (virentibus), petalis ovatis obtusis. *Ten. fl. nap. pr. app. 4. p. 10.*

Ic. H. niger, foliis dissectis. *Bocc. mus. t. 11. f. 2.*

In apricis pascuis fertilibus montosis Aprutii, *Monte Morrone.*

Junio, Julio. ♃

Caulis 1-3-florus. *Folia* laete virentia, superne lucida, subtus pallidiora rugoso-venosa, ad nervos puberula: *laciniae* 3-pollicares, lineari-lanceolatae, ½-1 poll. latae. *Flores* pedunculati, pedunculo sesquipollicari, oppositifolio, aut inter duo folia prodeunte.

Icon *Bocconi l. c.* ex observatione Cl. *Tenorii* ad hanc speciem spectat, et minime ad *H. purpurascentem*, sub quo cum dubio a Cl. *Dec. in s. nat. 1. p. 318.* fuit relata.

HELLEBORUS *INTERMEDIUS. Nob.*

H. caule bifido-ramoso, ramis subbifloris, foliis utrinque glaberrimis radicalibus caule brevioribus

digitato-pedatis, caulinis palmato-pedatis subsessilibus, foliolis cuneiformibus 2-3-partito-incisis, laciniis oblongis irregulariter dentato-serratis incisisque, floribus pedunculatis (virentibus), petalis subrotundo-ovatis obtusis.

Ic. *nostra t. 41.*

Ad sepes umbrosas in collibus maritimis Calabriae orientalis; *presso lo Bianco.*

Februario, Martio. 2f

Radix obliqua, nigricans, digiti minimi crassitie, undique fibras perpendiculares emittens. *Caulis* erectus, striatus, glaberrimus, virens, levis, 4-6-florus, sesquipedalis et ultra. *Rami* foliosi, inferiores cincti vagina foliacea, concava, glaberrima, ad margines membranaceo-scariosa, virenti, rudimentum folii apice gerente, pollicem longa. *Folia* membranacea, laete virentia, cum floribus erumpentia, subtus concoloria, nervosa, reticulata, undique et ad nervos glabra: *radicalia* longe petiolata; petiolo glabro, striato, supra canaliculato, pedali, levi, virente: *ramea* et ad caulis bifurcationes subsessilia, foliolis lateralibus in petiolum decurrentibus, ideoque vaginam brevem latam apertam glabram efficientibus. *Foliola* 1 ½ - 2 ½ poll. longa, poll. lata tam in foliolis radicalibus quam in caulinis, irregulariter partito-incisa; extima 2-3 partita, intermedia 2-3-fida, et aliquando integra; laciniis apice subdilatatis inciso-serratis, dentibus submucronatis, ½ poll. latis, poll. longis. *Pedunculi* oppositifolii, aut

in bifurcatione, vel terminales inter duo folia opposita prodeuntes, pollicares vel sesquipollicares, glabri, leves. *Petala* virentia, glabra, nervosa, aetate aliquando ad margines rubentia, pollicem circiter longa. *Stamina*, et *nectaria* non vidi. *Capsulae* nervis prominulis transversalibus notatae; quoad reliqua ut in congeneribus.

Species inter *H. atrorubentem* et *H. purpurascentem*, *Wald.* et *Kit.* media. Caulis ut in priore, folia vero ut in posteriore; a quo tamen differt; caule duplo triploque altiore ac multifloro; foliis re vera pedatis non digitatis, et utrinque glaberrimis; caulinis palmato-pedatis non ternatis et nunquam purpurascentibus.

CALTHA *PALUSTRIS*. *Lin.*

C. glaberrima, caule erecto multifloro, foliis cordato-subrotundis crenatis, foliolis calycinis oblongis obtusis deciduis. *Lin. sp. pl. 784. Will. sp. pl. 2. p. 1339. Poir. dict. enc. 5. p. 568. Pers. syn. 2. p. 107. Dec. s. nat. 1. p. 308. Spr. s. veg. 2. p. 659. Ten. fl. nap. pr. p. 32.*

Ic. *Lam. ill. gen. t. 500.*

Tussilago altera. *Matth. comm. 2. p. 200.*

In pascuis uliginosis, et juxta rivulos in montosis elatioribus Aprutii; *praterie di Pesco Costanzo, e di Revisondoli.*

Majo, Julio. ♃

CLASSIS XIV.

DIDYNAMIA-GYMNOSPERMIA.

SATUREJA *NERVOSA*. *Will.*

S. caule suffruticoso erecto, foliis subsessilibus glabris ovatis acutis subtus nervosis, pedunculis cymoso-verticillatis, calycibus villosissimis. *Will. sp. pl. 3. p. 42. Pers. syn. 2. p. 113. Poir. dict. enc. supp. 4. p. 567. Spr. s. veg. 2. p. 720.*

S. capitata. *Desf. atl. 2. p. 8*, non *Lin.*

Ic. *Desf. l. c. t. 121. f. 2.*

In collibus aridis calcareis maritimis Japygiae; *Taranto*, *Punta di Cutaro*, *Gallipoli*, *Ugento*, *Lecce*, una cum *Teucrio pseudo-hyssopo.*

Aprili, Majo. ♄

SATUREJA *GRAECA*. *Lin.*

S. pedunculis axillaribus 3-6-floris, bracteis calyce brevioribus, foliis inferioribus ovatis hispidis, superioribus linearibus vel lineari-lanceolatis, caule erectiusculo basi suffruticoso. *Lin. sp. pl. 794. Will. sp. pl. 3. p. 43. Pers. syn. 2. p. 113. Poir. dict. enc. 6. p. 567. Spr. s. veg. 2. p. 720. Ten. fl. nap. pr. p. 33.*

Ic. S. annua, orientalis, tenuior, ad singulos nodos florifera. *Moris. hist. 3. s. 11. t. 17. f. 2.*

Clinopodium creticum. *Alp. ex. t. 264.*

a. caule elongato rigido, foliis superioribus distantibus, calycibus adpresse pilosis, dentibus ciliatis.

b. caule non elongato, foliis omnibus ovatis, calycibus hispidis pilis patentibus.

In collibus aridis, muris tectisque Calabriae orientalis, Japygiae, Peucetiae ambae varietates passim proveniunt.

Aprili, Majo. ♄

In varietate *a. calyces* striati, pubescentes: *corollae* labio superiore erecto emarginato, inferiore planissimo basi vel concolore, vel lineis duabus albis pilosis, vel tandem maculis notato, trilobato, lobis lateralibus rotundatis integris, intermedio obcordato latiore emarginato; tubo calycibus longiore: *stamina* duo exserta, distantia; duo inclusa, approximata.

SATUREJA *CANESCENS. Nob.*

S. incano-hispida, pedunculis axillaribus 2-7-floris cymosis subsecundis, bracteis calyce brevioribus, foliis radicalibus ovatis superioribus lineari-lanceolatis, caule erectiusculo basi suffruticoso.

Ic. *nostra t. 42.*

In collibus maritimis Japygiae; *Taranto, Punta di Cutaro, Gallipoli, Torricella, Otranto.*

Aprili, Majo. ♄

Caulis gracilis, teres, erectus, aetate rubescens, semipedalis vel pedalis, basi ramosus; ramis, erectis. *Folia* subsessilia, inferiora 2-superiora ½ lineam lata, margine revoluta, apice acuta, subtus nervosa glandulisque aureis conspersa, aliquando rubentia; suprema floribus subjecta cymis longiora vel aequalia. *Pedunculi* axillares, 1-2 lin. longi, utrinque bini vel solitarii, sustinentes 2-7 flores pedicello brevissimo vix lineari instructos, quorum basis stipatur bracteolis setaceis irregularibus pedicello aequalibus vel longioribus, sed calyce multo brevioribus. *Calyces* tubulosi, striati, 5-dentati; dentibus lineari-setaceis, erectis, aequalibus. *Corollae* purpureae, parvae, externe hirsutae; tubus calyce longior; labium superius emarginatum; inferius trilobum; lobis lateralibus rotundatis, intermedio latiore vix emarginato.

Hirsutie omnium partium, pilis patentibus foliisque fere omnibus linearibus a *S. graeca* diversa, et quoad calyces *S. nervosae* magis proxima.

SATUREIA *CUNEIFOLIA. Ten.*

S. pedunculis axillaribus 1-3-floris, bracteis calyce brevioribus, foliis oblongo-cuneatis. conduplicatis punctato-hispidis, caule adscendente basi suffruticoso subhispido-canescente. *Ten. fl. nap. pr. 1. p. 33.*

Ic. *nulla.*

In collibus aridis calcareis Japygiae, *Taranto, Monopoli, Bari;* Dauniae *Manfredonia*, una cum *S. capitata.*

Junio, Julio. ♄

Caules subtetragoni, semipedales, vel pedales. *Folia* fere fasciculata ob rudimenta foliorum juniorum, lin. lata, 5-6 lin. longa, oblongo-cuneata, vel etiam lineri-oblonga, apice plus minus obtusa, integerrima. *Pedunculi* racemosi, verticillati, fere ut in *S. graeca. Calyces* hispidi, nervosi, campanulati; dentibus setaceis subaequalibus.

NEPETA *GRAVEOLENS. b. glabrata.*

N. cymis pedunculatis subsecundis, calycibus subincurvis villosis, foliis oblongo-lanceolatis basi cuneatis subcordatis, profunde dentato-serratis glabriusculis.

Ic. *nulla.*

In subalpinis montium Aprutii; *Monte Costone.*

Julio, Augusto. 2

Caules 1-½-2-½ pedes alti, tetragoni, vix puberuli; *foliorum* dentes divaricati, irregulares; *cymae* pedunculatae; *calyces* incano-pubescentes; *corollae* albae; *odor* gravis.

Differt ab icone *N. graveolentis* (*N. nepetella All. ped. t. 2. f. 1.*); *foliis* magis linearibus, quam ex ovata-basi lanceolatis, glabris, dentibus irregularibus subdivaricatis non approximatis, apice non acuto sed fere ovato et obtusiusculo. An species propria?

LAVANDULA *MULTIFIDA*. *Will.*

L. foliis petiolatis pinnatis incanis, foliolis decursive pinnatifidis, spica gracili tetragona spirali, bracteis ovatis nervosis villosis. *Will. sp. pl. 3. p. 61. Pers. syn. 2. p. 116. Lam. dict. enc. 3. p. 429. Spr. s. veg. 2. p. 713. Ten. fl. nap. pr. p. 33.*

Ic. L. stoechas. *Duham. abr. ed. nov. v. 3. t. 43.*

L. multifido folio. *Clus. hist. 1. p. 345. Barr. ic. 798*, mediocris.

In collibus calcareis maritimis Calabriae orientalis; *Capo dell' Armi*, ubi primus invenit *L. Thomas.*

Aprili, Majo. ♄

Caules tetragoni, canaliculati, piloso-hispidi. *Folia* pinnatifida vel bipinnatifida, piloso-scabra. *Petioli* semiteretes, canaliculati. *Flores* coerulei, in spicam spiralem tetragonam 4-serialem dispositi, basi saepius ramosam vel proliferam. *Bracteae* ovatae, concavae, trinerves, acuminatae, margine membranaceo-scariosae, calycibus aequales, vel paullo breviores. *Calyces* striati, apice arachnoideo-pubescentes. *Corollae* 4 lin. calycem excedentes, externe puberulae; labio superiore erecto, plano, profunde emarginato; inferiore tripartito, laciniis subaequalibus venosis; tubo calyci aequali, filiformi, basi albido.

SIDERITIS *SYRIACA. Lin.*

S. suffruticosa, foliis obovato-spathulatis lanceolatisve subintegerrimis, floribus verticillatis, bracteis cordatis acutis incano-tomentosis. *Lin. sp. pl. 801. Will. sp. pl. 3. p. 65. Pers. syn. 2. p. 117. Lam. dit. enc. 2. p. 167. Spr. s. veg. 2. p. 174.*, excluso synonimo *S. brutiae Ten.* (quae est species omnino diversa) *Ten. fl. nap. 2. p. 15.*

Ic. *Sabb. H. rom. 3. t. 40. Reich. Hort. t. 57.*

Sideritis. *Dod. pempt. p. 90?* (excluditur a *Ten.* ab hac specie, sed potius ad hanc spectat ob folia obtusa).

b. bracteis pubescentibus (non tomentosis) virescentibus.

Ic. *nulla.*

In collibus calcareis, et in declivitatibus montium Samnii, *Monte di Mezzo presso Castel di Sangro;* Aprutii, *Piano di cinque miglia, Pettorano, Morrone, Pacentro, Rajano, Colle Armeno, Ortona de' Marsi, Pescina;* varietas *b. presso l' Aquila.*

Junio, Augusto. ♄

Folia non sunt lanceolata, sed potius obovato-spathulata, vel obovato-lanceolata, plus minus obtusa. Varietas *b.* inter *S. syriacam* et *S. brutiam Ten.* media. Cum illa foliis convenit, cum hac bracteārum colore; tamen hae in *S. brutia* florum verticil-

los admodum excedunt, sunt magis acuminatae, et fere glabrae; dum in varietate *b.* verticillos non superant, et illarum pubescentia insignis. Hinc nihil mirum si Cl. *Reich.* hanc varietatem coram habens (de quo nullum dubium cum ipse loquatur de planta a Cl. *Orisini* habita, qui illam in Aprutio collegit, quo in loco S. *brutia* non invenitur, sed solum duae enumeratae varietates *S. syriacae* occurrunt) dixerit in *Pl. crit. cent. 4. p. 8. S. brutiam* a *S. syriaca* non differre.

Folia hujus plantae nonnihil aromatica sunt, proinde loco *Salviae officinalis* apud incolas usui medico inserviunt, et planta ipsa *Salvia montana* saepe saepius appellatur.

LAMIUM *LONGIFLORUM. Ten.*

L. foliis cordatis profunde dentato-crenatis scabriusculis glabris pubescentibusque laete virentibus, verticillis 6-10-floris, dentibus calycinis lanceolatis acuminatis corollae tubo recto calyce duplo longiore fauce dente utrinque gemino. *Ten. fl. nap. pr. p. 34.*

Ic. L. montanum saxatile ferme glabrum, flore amplo purpureo, labio inferiore crenulato. *Till. H. Pis. t. 31. f. 1*, quae ad varietatem *b. L. garganici* a *Ten.* refertur.

a. foliis cordato-oblongis latis, profunde dentato-crenatis.

b. foliis parvis, radicalibus subrotundis, superioribus ovatis inciso-dentatis.

c. foliis ut in praecedente, floribus pallidis, corollae labio superiore emarginato-bifido non 4-dentato.

d. foliis ut in praecedente; floribus albis.

In apricis montosis et vallibus humo repletis, Samnii, *Matese*, *Monte di Mezzo*, *Monte Capraro;* Aprutii, *Monte Corno*, *Monte Costone*, *Monte Intermesole*, *Majella.*

Julio, Augusto. ♃

Planta omnibus partibus vel glaberrima, vel plus minusque pubescens, laete virens (non semper dense pubescens et obscure virens, ut *L. garganicum*). *Radix* perennis, transversa, inter saxa humo repleta hinc inde stolones emittens. *Caules* plures, erecti vel saepius adscendentes, tetragoni, leves, fistulosi, basi tantum ramosi, 1-1 ½ ped. longi. *Folia* subrugosa vel plana, profunde dentata, nunquam sublobata (ut in *L. garganico*), obtusa; petiolata; *petiolo* pollicari et ultra, semitereti, supra canaliculato, basi dilatato, caulem amplectente, et purpurascente. *Flores* 6-10 pro quovis verticillo, pollicem fere longi, laete purpurei, raro pallide rosei vel albidi, sessiles. *Calyx* incurvus, subcampanulatus, subangulatus, nervosus, nervis per dentium apicem excurrentibus, 5-dentatus; dentibus subaequalibus, triangularibus, acuminatis. *Corolla* pubescens, tubo calycem multoties excedente, basi

glabro, ibique aliquando curvato; fauce externe pallida, intus lineis purpureis notata; labio superiore fornicato, externe intensius colorato, magisque pubescente, apice planiusculo et 2-4-dentato, dentibus obtusis saepe inaequalibus; labio inferiore glabro, superne lineato punctatoque, bilobo, lobis patentibus concavis crenulatis. *Filamenta* alba, pilosa. *Antherae* pilis albis hirsutae. *Pistillum* glabrum, bifidum. *Semina* truncato-triquetra, hinc convexa, punctis albidis scabra.

Icon *Tillii l. c.*, quae sub *L. Orvala* relata fuit a *Lam.* in *dict. enc. 3. p. 410*, et a *Will.* in *sp. pl. 3. p. 86* sub eadem specie, adjecto tamen dubitationis signo, minime ad *L. Orvalam* pertinet, uti jam notavit Cl. *Ten.* in *fl. nap. 2. p. 17;* a quo tamen tanquam varietas *L. garganici* habetur; sed ex loco et characteribus certe ad *L. longiflorum* spectat. Descriptio quoque *Lam. L. garganici l. c.* videtur potius ad *L. longiflorum* facta Tandem dentes duo non unicus, ut ex *Ten. l. c.* ad faucem corollae, pro quo charactere (etiam reliquis posthabitis) a *L. rugoso* omnino differt, cum quo associatur a Cl. *Spr.* in *s. veg. 2. p. 726.*

LAMIUM *GARGANICUM. Lin.*

L. foliis cordatis inaequaliter crenatis incano-pubescentibus (obscure virentibus) verticillis 6-10-floris, corollae tubo recto calyce duplo triploque

longiore, fauce dente utrinque gemino altero obsoleto, dentibus calycinis triangularibus acutis (non elongatis). *Lin. sp. pl. 808. Lam. dict. enc. 3. p. 410 ? Will. sp. pl. 3. p. 87. Pers. syn. 2. p. 121. Spr. s. veg. 2. p. 726. Ten. fl. nap. 2. p. 17.*

Ic. L. garganicum, subincanum, flore purpurascente, labio superiore crenulato. *Till. H. Pis. t. 34. f. 2.*

In montibus calcareis Dauniae, *Gargano.*

Majo, Junio. ♃

Caules, folia ac *petioli* pubescentes, aliquando fere canescentes; *flores* majores: *dentes* calycis triangulares, non elongati; *color* totius plantae sub pubescentia obscure virens.

GALEOPSIS *LADANUM. Lin.*

G. foliis lanceolatis dentatis, internodiis caulinis aequalibus, verticillis summis approximatis, calycinis dentibus acutis breviter aristatis rectis subconniventibus, corollis calyce quintuplo longioribus, caule superne calycibusque pubescentibus, pilis glandulosis. *Lin. sp. pl. 810.*

Ic. *Fl. dan. 1757.*

b. floribus pallidis.

In submontosis, inter segetes, et in arvis montosis solo calcareo Samnii, *a Capracotta;* et Aprutii, *Chiarino presso Aquila*, una cum *G. angustifolia.* Varietatem *b.* solummodo prope *Capracotta* vidi.

Junio, Augusto. ⊙

Caulis erectus, tetragonus, ramosus; ramis erecto-patentibus, non divaricatis. *Folia* fere dependentia, lanceolata vel ovato-lanceolata, basi integerrima, supra lineata, subtus nervosa, acuta vel obtusa, molliter pubescentia, intense virentia, 3-4 lin. lata, 1 ½ pol. longa. *Flores* rosei, verticillati, 8-9 in quolibet verticillo, purpurascentes. *Bracteae* foliaceae sub verticillis subjectae, ac praeterea bracteolae lineares subulatae calyce duplo breviores. *Calyces* cylindrici, tubulosi, nervosi, angulati; dentibus inaequalibus, breviter aristatis, 2 lin. longis, apice approximatis, non patentibus. *Corolla* externe pubescens, tubo calyce longiore: labio superiore fornicato, bidentato: inferiore trilobo; lobis lateralibus angustioribus, rotundatis, subdeflexis, integris vel crenulatis; medio-latiore, integro vel denticulato, emarginato, denticulo interjecto. *Caulis* superne, bracteolae, ac calyces pilis apice glandulis nigris rotundis instructis obsiti.

G. angustifolia Pers. syn. 2. p. 122. differt ab hac, ramis magis divaricatis, foliis angustioribus et basi magis attenuatis, calycibus campanulatis, dentibus valde inaequalibus et longioribus (3-lin. logis) divergentibus, corollae labio inferiore magis crenulato. Haec etiam Samnii et Aprutii indigena est, at in montosis aeque ac in demissis provenit, dum *G. ladanum* solummodo in montosis occurrit.

GALEOPSIS *TETRAHIT*. *Lin.*

G. caule hirto internodiis superne incrassatis, ramis retrorsum hispidis, foliis ovato-oblongis dentatis, verticillis summis subcontiguis, calycibus longissime aristatis tubum corollae aequantibus. *Lin. sp. pl. 810. Will. sp. pl. 3. p. 92. Lam. dict. enc. 2. p. 601. Pers. syn. 2. p. 122. Spr. s. veg. 2. p. 725. Ten. fl. nap. pr. p. 34.*

Ic. *Engl. bot. t. 207.* (ex *Pollini*).

Cannabis sylvestris, spuria altera. *Lob. ic. 527.*

b. parviflora; aristis tubo calycino longioribus, corollis paulo calycem excedentibus. *Bertol. am. it. p. 377.*

In sylvaticis montosis Samnii, *Monte di Mezzo, Monte Capraro;* Aprutii, *Chiarino, Pietra Camela, Caramanico, Roccamorice alle falde della Majella.*

Julio, Augusto. ⊙.

STACHYS *GERMANICA*. *Lin.*

S. pallide virens, verticillis multifloris, dentibus calycinis ovatis, bracteis lanceolatis integerrimis, foliis cordato-ovatis crenatis villoso-lanatis summis elliptico-lanceolatis, caule erecto vel adscendente lanato simplicissimo. *Lin. sp. pl. 812. Will. sp. pl. 3. p. 99. Poir. dict. enc. 7. p. 368. Pers.*

syn 2. p. 123. Spr. s. veg. 2. p. 736. Ten. fl. nap. 2. p. 23.

Ic. *Jacq. austr. 4. t. 319. Fl. dan. 684.*

In pascuis montosis Samnii, *Monte di Mezzo Monte Capraro;* Aprutii, *Majella Morrone, Monte S. Franco, Monte Costone, Pietra Camela.*

Julio, Augusto. ♃

Folia pallide virentia non albida, ut in *S. polystachya. Caulis* semper simplex, nunquam ramosus, vix pedalis, dum in illa bipedalis et ultra.

STACHYS *SALVIAEFOLIA. Ten.*

S. albo-tomentosa, verticillis multifloris subspicatis, calycibus longe spinosis, foliis oblongo-ellipticis obtusis, caulibus simplicibus. *Ten. fl. nap. 2. p. 25. Spr. s. veg. 2. p. 737.*

Ic. *Ten. l. c. t. 54.*

S. alba, angusto salviaefolio. *Barr. ic. 279.*

In aridis collibus maritimis Calabriae orientalis, *Cassano, Corigliano, Amendolara;* et Japygiae *Taranto, Leuca, Lecce.*

Majo, Junio. ♃

STACHYS *HIRTA. Lin.*

S. verticillis sexfloris, calycibus aristato-pungentibus, corollae labio superiore bifido laciniis divaricato-reflexis, foliis cordatis ovatis crenatis ru-

gosis piloso-hirsutis, caulibus erectis tetragonis, ramis patentibus. *Lin. sp. pl. 813. Will. sp. pl. 3. p. 103. Poir. dict. enc. 7. p. 371. Pers. syn. 2. p. 124. Spr. s. veg. 2. p. 734. Ten. fl. nap. pr. p. 34.*

Ic. *All. ped. t. 2. f. 3.*

Ocymastrum valentinum. *Clus. hist. 2. p. 42*, optima.

In arenosis herbidis maritimis Calabriae orientalis, *Brancaleone, Cirò;* Japygiae, *Ugento, Gemini.*

Aprili, Majo. ⊙

MARRUBIUM *SAXATILE. Raf.*

M. foliis cordato-lanceolatis inaequaliter crenatis planis, calycum limbis patentibus 10-dentatis, dentibus acutis aristatis, bracteis linearibus. *Raf. prec. des decouv. p. 38. n. 127.*

M. rupestre. *Biv. man. 2. p. 1.*

M. hispanicum. *Pet. instit. 3. p. 816,* non *Lin.* ex loco. *Ten. fl. nap. 2. p. 34.*

Ic. *Biv. l. c. t. 1.*

M. saxatile, albidum, villosum, foetidum. *Cup. panph. 2. t. 133. Bon. t. 13.*

In collibus, et sylvaticis rupibus calcareis Calabriae orientalis; *da Regio a Spartivento, Cassano, Corigliano.*

Aprili, Majo. 2

MARRUBIUM *PEREGRINUM*. *Lin.*

M. sericeo-tomentosum, foliis ovalibus oblongisque dentatis subtus rugoso-venosis demum deflexis, dentibus calycinis 5 subaequalibus subulatis demum divergentibus. *Lin. sp. pl. 815. Reich. pl. cr. cent. 4. p. 10. Ten. fl. nap. pr. p. 34.*

Ic. *Reich. l. c. t. 312. f. 485.*

M. hispanicum supinum, *Dill. elth. t. 174. f. 215.*

M. candidissimum, folio subrotundo. *Bauh. hist 3. p. 317.*

In collibus, et in campis aridis calcareis Aprutii; *Aquila, Roccamorice, Caramanico, Pacentro.*

Junio, Julio. ♃

M. peregrinum Jacq. Spreng. Marsch. aliorumque observante Cl. *Reich.* l. c. ad aliam speciem spectat. Ideo synonyma, quia dubia, praetermisi. *Galeae* denticuli apud nos acuti.

THYMUS *ACINOIDES*. *Ten.*

T. floribus subsessilibus verticillatis, verticillis 6-floris approximatis, corollis calyce basi gibbo duplo longioribus, foliis inferioribus ovatis ellipticis obtusis petiolatis, superioribus lanceolatis subintegerrimis acutis impunctatis utrinque viridibus, caulibus adscendentibus subsimplicibus hirtis. *Ten. fl. nap. pr. p. 35. Spr. s. veg. 2. p. 697.*

T. acynos *b. Seb.* et *Maur. fl. rom. pr. p. 197.*

Acinos villosus. *Pers. syn. 2. p. 131.*

Ic. Clinopodium minus, angustifolium, Pulegii odore, Romanum. *Bocc. mus. p. 50. t. 45. A?*

In collibus aridis calcareis Japygiae; *Taranto, Lecce, Torricella, Otranto.*

Majo, Junio. ♃

A *T. acyno* omnino diversus, habitu, floribus, hirsutie omnium partium, et odore, illi intenso *Menthae pulegii* simillimo.

THYMUS *ACICULARIS. Wald.* et *Kit.*

T. floribus capitatis, capitulis oblongis, bracteis ovatis, foliis linearibus subtus nervosis sulcatis punctatisque basi ciliatis, caulibus sterilibus repentibus. *Wald.* et *Kit. pl. rar. Hung. 2. p. 157. Pers. syn. 2. p. 130. Poir. dict. enc. 7. p. 653. Moretti dec. plant. ital. 3. p. 6. Spr. s. veg. 2. p. 695.*

Thymbra ciliata. *Ten. fl. nap. pr. supp. 2. p. 69.* non *Desf.*

Ic. *Wald.* et *Kit. l. c. t. 147.*

In aridis collibus calcareis Japygiae; *Taranto, Torricella, Otranto.*

Aprili, Majo. ♃

Flores albi; *calycis* dentes aristati; *odor* gravis.

THYMUS *MICRANTHUS. Brot.*

T. pedunculis solitariis axillaribus ramosis folio brevioribus, corollis calyce subaequalibus, foliis ovatis acutis nervosis superne glabriusculis subtus hirtis, caule erecto, vel adscendente subfiliformi. *Brot. fl. lusit. 2. p. 176. Pers. syn. 2. p. 131. Poir. dict. enc. 7. p. 654. Spr. s. veg. 2. p. 698.*

Ic. *nulla.*

In collibus aridis calcareis Japygiae; *Taranto, Lecce, Otranto.*

Aprili Majo. ♃

Ab aliis affinibus diversus, *caule* gracili, subfiliformi, ut plurimum adscendente vel subdiffuso; *corollis* parvis, vix calycem excedentibus; *pedunculis 3-4*-floris.

PRASIUM *MAJUS. Lin.*

P. foliis ovato-oblongis subcordatis serratis glabriusculis, dentibus calycinis ovato-lanceolatis acutis mucronatis. *Lin. sp. pl. 838. Will. sp. pl. 3. p. 179. Poir. dict. enc. 5. p. 610. Pers. syn. 2. p. 137. Spr. s. veg. 2. p. 694. Ten. fl. nap. 2. p. 44.*

Ic. *Lam. ill. gen. t. 516.*

Teucrium fruticans, amplo et albo flore italicum. *Barr. ic. 895.*

In collibus calcareis Calabriae orientalis, *Reggio, Roccella, Cirò, Cassano;* Japygiae, *Racali, Lecce.*

*

Aprili, Majo. ♄

Specimina in Calabria lecta quoad folia cum *P. minore*, quod ab ipso amicissimo *Viviani* accepi omnino conveniunt, sed calycinis laciniis lanceolatis mucronatis differunt. An *P. majus*, et *minus* nonnisi varietates ejusdem speciei?

DIDYNAMIA ANGIOSPERMIA.

ZAPANIA *REPENS*. *Bertol.*

Z. glaberrima, spicis capitato-conicis, bracteis obtusis, foliis cuneiformibus superne dentatis, caule radicante. *Bertol. am. it. p. 73.*

Verbena repens. *Ten. fl. nap. 1. p. 20.*

Lippia repens. *Spr. s. veg. 2. p. 752.*

Ic. Verbenaca nodiflora. *Imp. ist. nat. ed. Ven. p. 673.*

Verbena nodiflora. *Bauh. prod. 125.*

In herbidis inundatis mari finitimis Calabriae orientalis; *Cotrone*, *Cassano Corigliano*; Japygiae *Taranto*, *Gallipoli*.

Julio, Septembri. ♃

MELAMPYRUM *SYLVATICUM*. *Lin.*

M. foliis omnibus bracteisque inferioribus lanceolatis acuminatis integerrimis, bracteis superioribus subcordatis basi setaceo-dentatis, calycibus hirsutiusculis, dentibus lineari-setaceis elongatis, co-

rollis hyantibus. *Lin. sp. pl. 843. Will. sp. pl. 3. p. 199. Desr. dict. enc. 4. p. 22. Ten. fl. nap. pr. p. 36. Spr. s. veg. 2. p. 783.*

M. alpestre. *Pers. syn. 2. p. 151.*

Ic. *Fl. dan. 145? Sturm. fl. germ. p. 1. f. 9. t. 11.*

In nemoribus Aprutii; *Majella, Monte Corno.*

Junio, Augusto. ⊙

Caules ramosissimi, ramis patentibus, palmares, vel sesquipedales, glabri vel puberuli, tetragoni, fragiles, rubentes. *Folia* omnia exacte lanceolato-linearia, nunquam basi cordata sed semper attenuata in petiolum 2-3-linearem, laete virentia, glabra, margine scabriuscula, 2-6 lin. lata, 1-2 poll. longa, apice acuminata. *Bracteae* inferiores integerrimae, non cordatae, foliis omnino conformes; sed adscendendo longius petiolatae, cordatae, setaceo-dentatae, virides vel coloratae; supremae steriles, basi 3-6 lin. latae, 6-lin. ad 1 ½ poll. longae. *Flores* secundi. *Calyces* ad nervos praesertim hirsutiusculi, pilis reflexis: dentibus lineari-lanceolatis, apice attenuato-setaceis, margine et carina hispido-scabris, 4-6 lin. longis. *Corollae* primum omnino luteae, demum auranticae, labio inferiore et facie interna galeae exceptis: galea externe glaberrima, interne hirsuta. *Stylus* vix exsertus, glaber. *Antherae* inferne villis connexae.

Differt ab iconibus superius citatis bractearum dentibus elongatis setaceis, bracteis superioribus co-

loratis ut in *M. nemoroso*, dentibus calycinis longioribus, calycibus hirsutiusculis, pilis reflexis. A *M. nemoroso*, differt foliis basi attenuatis non cordatis, calycibus minime lanatis.

PEDICULARIS *VERTICILLATA. Lin.*

P. caule simplici, foliis caulinis pinnatifidis quaternis, laciniis oblongis obtusis crenatis, spica capitata, calycibus hirsutis quinquedentatis, corollae galea obtusissima. *Lin. sp. pl. 486. Will. sp. pl. 3. p. 214. Pers. syn. 2. p. 153. Poir. dict. enc. 5 p. 134. Ten. fl. nap. supp. 4. p. 10. Spr. veg. 2. p. 781.*

Ic. *Jacq. austr. 2. t. 206.*

In pascuis alpinis Aprutii, *Monte Costone*, *Monte Intermesole*, *Monte Corno nella valle delle Cornacchie*, simul cum P. *gyroflexa*, *tuberosa*, et *foliosa.*

Augusto, Septembri. ♃

Species ob florum colorem purpureum hortis decorandis aptissima, sed cultura apud nos impatiens.

LINARIA *PALLIDA. Ten.*

L. caule basi ramosissimo, foliis subrotundo-reniformibus obtuse quinquelobis oppositis pubescentibus crassiusculis, floribus longe pedunculatis concoloribus, pedunculis fructiferis reflexis. *Ten. fl. nap. 1. p. 32. in add. et em.*

Antirrhinum pubescens : *ejusdem prod. p. 36.*

Ic. *nulla.*

In glareosis montium Aprutii ; *Majella nella valle d' Orfenta, e di S. Spirito, alla Majelletta, Morrone.*

Julio, Augusto. 2f

Planta undique pubescens, triste obscureque virens, in glareosis humo repletis caespitosa. *Radix* perennis, filiformis, albida, inter saxa excurrens. *Caulis* prope terram ramosus, reliqua sui parte simplex, teres, solidus, semilineam crassus, 2-4-pollicaris, directione et distorsione varius. *Folia* omnia opposita, cordata, petiolata, reniformia vel subrotunda, raro ovata, concava, integra, crenata vel crenulata, et etiam 3-5-loba ; lobis rotundatis vel acutis; erecto-patentia vel divaricata, semipollicem lata ac longa. *Petiolus* teres, superne canaliculatus, pollicem longus, in foliis inferioribus longior, in superioribus brevior. *Pedunculi* petiolis aequales, vel paullo breviores, teretes, solitarii, oppositi, recti; at in fructu arcuati, deorsum reflexi. *Calyx* quinquephyllus, foliolis subaequalibus, linearibus, brevissimis, vix lin. longis, integris, obtusis. *Flores* laete coerulei, odori. *Corollae* 3-4-lineas longae, (calcare excepto) ; labio superiore sursum angustiore, inferne lineato, bipartito, laciniis ovalibus obtusis planis integris : inferiore trilobo, lobis concoloribus, ovatis, subaequalibus, planis, palato gibbo, sulco profunde excavato, maculis verrucae-

formibus ex albido-flavescentibus notato ; fauce villis albidis vel flavescentibus instructa ; calcare recto crassiusculo, obtuso, corollae subaequali. *Capsula* glabriuscula, globosa, stylo coronata, calyce aequilonga. *Semina* subrotunda, nigra, corrugato-rugosa.

Variat floribus pallidis, et calcare fere saccato obtusissimo.

A *L. pubescente Presl* toto coelo diversa, et immerito cum illa conjuncta a Cl. *Spr.* in suo *s. veg. 2. p. 790.*

LINARIA *NEGLECTA. Clarke.*

L. glaberrima, foliis obovatis ellipticisque glaucis integris inferioribus ternis, superioribus alternis, floribus spicatis, calcaribus corolla brevioribus subulatis, seminibus subtriquetro-angulatis. *Pflanzen in Clarke s' Reisen, vol. 3. p. 452*, ex *Spr. Neue entdeckungen, vol. 3. p. 160.* sub *Antirrhino.*

L. triphylla *A. Desf. atl. 2. p. 40. Ten. fl. nap. 2. p. 49.*

Ic. L. sicula, latifolia, triphylla. *Bocc. sic. t. 22.*

b. floribus omnino coeruleis.

L. triphylla caerulea. *Bauh. pin. 312.*

Ic. L. latifolia, triphyllos, sicula. *Moris hist. 2. s. 5. t. 12. f. 2.*

In collibus aridis, et inter segetes Calabriae orientalis ac Japygiae. Varietas *b.* satis rara.

Aprili, Majo. ⊙

Icon *L. triphyllae Cav. ic. 2. t. 179* omnino ab hac specie recedit, caule, foliis calycibusque pilosis, corollarum calcari longiore, et magis recto. Descriptio *L. triphyllae Lam. dict. enc. 4. p. 350* ad *L. neglectam*, et minime ad veram *L. triphyllam* videtur facta. Quid de iconibus *Dodonaei*, *Lobelii*, *Dalechampii* aliorumque dicendum sit affirmare non audeo. *Folia* in omnibus pinguntur glabra, et calcar corollae aequale; quibus characteribus potius ad *L. neglectam*, quam ad *L. triphyllam* pertinent. Varietas *b.* floribus omnino coeruleis ad nostram speciem spectat ob foliorum et corollarum notas. Tandem si *L. triphylla* semina discoidea habet, ut ex *Link en. alt. H. Ber. 2. p. 137*, tunc *L. neglecta* certo certius a *L. triphylla* differt; nam in *L. neglecta* semina subtriquera, angulata et reticulato-excavata sunt. Interim Cl. *Spr.* in *s. veg. 2. p. 791* has duas species denuo in unam conjungit.

LINARIA *SIMPLEX*. *Pers.*

L. caule erecto, foliis sublinearibus, inferioribus quaternis, calycibus piloso-viscosis, floribus racemosis, calcarei recto. *Pers. syn. 2. p. 156. Spr. s. veg. 2. p. 795.*

Antirrhinum simplex. *Will. sp. pl. 3. p. 243. Poir. dict. enc. supp. 4. p. 24. Ten. fl. nap. 2. p. 50.*

Ic. L. parviflora. *Jacq. ic. rar. 3. t. 499* (non *Desf.*).

L. lutea, parva, annua. *Bauh. hist. 3. p. 457*, mala.

In collibus aridis, et inter segetes Calabriae orientalis; *Reggio.*

Martio, Aprili. ⊙

Caules plus minusque basi erecti, plurimi ex eadem radice vel solitarii. *Folia* angusto-linearia, glaberrima, glaucescentia, inferiora opposita quaterna; superiora alterna, 5-6-lin. longa, vix semilineam lata. *Bracteae* lineari-oblongae, post anthesim deorsum flexae. *Calycis* foliola lanceolata, integerrima, acuta vel obtusiuscula, undique pilis apice peltatis glandulosisque obsita. *Corolla* lutea, labio superiore bipartito, laciniis obtusiusculis, postice conniventibus, sublineatis, sordide viridi-lutescentibus; labio inferiore tripartito, laciniis aequalibus ovatis obtusis; palato gibbo; fauce villis instructa. *Calcar* rectum, albido-virescens, 2-3-lin. longum, corolla aequale. *Capsula* quadrivalvis, glabra, calyce duplo longior. *Semina* glabra, compressa, margine membranaceo alata, albida, centro nigricante.

LINARIA *STRICTA. Sibth.*

L. caule erecto, foliis linearibus confertis, inferioribus ac surculorum sterilium subquinis verti-

cillatis, superioribus alternis, racemis terminalibus elongatis, floribus imbricatis, calyce pubescente obtuso. *Smith. fl. gr. pr. p. 433. Spr. s. veg. 2. p. 797,* an cum synonymo ?

Antirrhinum strictum. *Poir. dict. enc. supp. 5. p. 737.*

L. reticulata. *Biv. cent. pl. sic. 2. p. 34.* exclusis synonymis *Desf. Will. Vent.* et *Poir.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 594*, ex *prodr.*

L. sicula multicaulis, molluginis folio. *Bocc. sic. t. 19. f. 1.*

In collibus arenosis, et inter segetes Calabriae; *Reggio, Capo dell' Armi, S. Giovanni.*

Martio, Junio. ⊙

Radix subcaulescens, plus minus ramosa, albida. *Caules* ex eadem radice plurimi, 5-40!, quorum steriles procumbentes apice subadscendentes: floriferi erecti, strictisimi, recti, 2-3-pedales, foliis dense vestiti, fragiles, teretes, leves, inferne glaberrimi, superne (sub racemo) uti pedunculi calycesque pubescentes, pilis aliquando glandulosis; virescentes, diametro 1-2-lineari. *Folia* minime amara, glaberrima, linearia, sessilia, supra canaliculata, subtus convexa, acuta, carnosiuscula, integerrima; surculorum sterilium verticillata, 4-6, vel alterna, patentia vel deflexa, pollicem longa; caulium fertilium sparsa, erecto-patentia subconferta, pollicaria vel sesquipollicaria. *Racemus* semper simplex. *Bracteae* lineari-lanceolatae vel lineari-spathulatae, mar-

*

Ic. L. parviflora. *Jacq. ic. rar. 3. t. 499* (nec *Desf.*).

L. lutea, parva, annua. *Bauh. p. 457*, mala.

In collibus aridis, et inter seget orientalis; *Reggio.*

Martio, Aprili. ⊙

Caules plus minusque basi eadem radice vel solitarii. *F* glaberrima, glaucescentia, terna; superiora alterna, lineam lata. *Bracteae* thesim deorsum flex integerrima, acut apice peltatis gl labio superior stice conniv tescentib qualib instr lo

, glabra, albida, antheris luteis. *...mum* glabrum, stigmate bifido. *Capsula* subrotundo-ovata, glabra, calyce aequalis. *Semina* angulata, corrugato-excavata, nigra. *Flores* primum densi, racemosi, imbricati; at deinde racemus sensim elongatur et remoti evadunt.

Species haec non solum in Calabria sed et in Sicilia ubique provenit, ubi illam Cl. *Sibthorpius*

...illatis, superioribus alternis, racemis terminalibus ...galis, floribus imbricatis, calyce pubescente ... Smith. fl. gr. pr. p. 433. Spr. s. veg. 2. p. 797, ... synonymo? ... strictum. Poir. dict. enc. supp. 5. ... ent. pl. ic. 2. p. 34. exclusis ... ent. et Poir. ... Prodr. ... folio. Bocc.

observavit et delineavit. Inde ad hanc spectat synonymon *Bocconi* superius allatum, quod jam Cl. *Biv. l. c.* ad *L. reticulatam* amandaverat; nam *L. multicaulem* non solum in Sicilia adhuc non inveni, sed planta *Bocconi* ad hanc speciem minime spe-
:tare potest, ut ex descriptione patet. Forsan *L.*
:terophylla Desf., quae est *L. aparinoides Will.*,
ostra specie non diversa, sed habitu ac racemo
o obtusoque quodammodo differt.

M SICULUM. *Ucria.*

'iis lineari-lanceolatis, inferioribus ternis
alternis, floribus racemosis, calycinis fo-
oso-pilosis ovato-lanceolatis acutiusculis.
Lin. opus add. n. 17. Will. sp. pl. 3.
vn. 2. p. 158. Poir. dict. enc. supp.
. veg. 2. p. 798.
m linariae flore, candido-pallente
nph. sic. 1. t. 73.
ad muros Calabriae; *Reggio*,
rucoli.

Martio, Aprili. ♃

Caules suffrutescentes, simplices, ramosi, solidi, recti vel flexuosi, leves, glaberrimi, obscure virentes, 1 ½ ad 2-pedes alti. *Rami* ex axillis foliorum erecti vel adscendentes, ceterum cauli similes. *Folia* perennantia, dependentia, integerrima, acuta, supra subcanaliculata, subtus convexa, levia, gla-

berrima, subsessilia, 1-1 ½ poll. longa. *Flores* pallide flavi, alterni vel bini, approximati et aliquando terni fere verticillati, pedunculati, pedunculis erectis nonnihil glanduloso-pubescentibus, teretibus, viridibus, 2-3 lin. longis, ante anthesim fere horizontalibus. *Bracteae* lineares, recurvae, ante anthesim erectae, sub anthesi patentes, demum reflexae, canaliculatae, acuminatae, integerrimae, pedunculis aequales. *Calycis* foliola integerrima, avenia, 1 ½ lin. longa, ½ lata, triste virentia. *Corolla* labio superiore superne amoeno roseo, inferne albido, ad fissurae angulos solummodo venis paucis purpureis notato, bifido, reflexo, apicem versus margine dente unico obtuso utrinque instructo: labio inferiore tripartito; lacinia intermedia ovata, breviore et angustiore, basi concava, albida; palato flavo; fauce villosa, et glandulis luteis in duas longitudinales series digestas instructa. *Stamina* et *pistillum* glabra, viridi-coerulescentia. *Capsula* pubescens. *Semina* atra, tetragona, corrugata-excavata.

CELSIA *CRETICA Lin.*

C. foliis radicalibus lyratis superioribus oblongis, floribus subsessilibus bracteis subaequalibus, calycinis laciniis elliptico-lanceolatis serratis acutis. *Lin. supp. 281. Will. sp. pl. 3. p. 280. Vahl. sym. 3. p. 80. Pers. syn. 2. p. 161. Lam. dict. enc. 1. p. 662. Spr. s. veg. 2. p. 809.*

Ic. *Jacq. H. Schoenb. 4. t. 474.*

In collibus, et campis herbidis maritimis Calabriae orientalis; *al Bianco nuovo.*

Aprili, Majo. ♂

Herba odore plus minus viroso, et superne subviscosa, habitu fere *Verbasci blattariae; flores* subsessiles, magni, aurantiaci; *stamina* duo longiora, fertilia, incurva; duo breviora sterilia, recta, fere clavata, barbata; *bracteae* cordatae, attenuatae, serratae, deflexae.

SCROPHULARIA *GRANDIDENTATA. Ten.*

S. caule petiolisque villosis, foliis subtus pubescentibus cordato-oblongis levibus profunde bidentatis, dentibus divergentibus, panicula racemosa terminali, pedunculis trichotomis. *Ten. fl. nap. pr. supp. 2. p. 69.*

S. foliis cordatis trinervatis utrinque pubescentibus, petiolis ciliatis, pedunculis bracteisque pilosoglandulosis. *Wald.* et *Kit. pl. rar. Hung. 3. p. 238.*

Ic. *Wald.* et *Kit. l. c. t. 214.*

In nemoribus, et in sylvaticis montosis Samnii, *Monte di Mezzo, Monte Capraro;* Aprutii, *Majella, Chiarino, selve delle falde di Monte Corno.*

Junio, Augusto. ♂, ♃

S. *grandidentata* a *S. glandulosa* certe non differt, ut ex collatis speciminibus, icone, et de-

scriptione *Fl. Hung.* liquide patet; tamen *S. scorodonia*, cum qua a Cl. *Spr.* conjungitur in *s. veg. 2. p. 784*, est omnino distincta. Nomen Cl. *Tenorii*, quia anterius, servandum est.

SCROPHULARIA *LUCIDA*. *Lin.*

S. foliis glaberrimis, inferioribus pinnatifidis bipinnatifidisque, laciniis latis obtusis dentato-serratis, racemi paniculati ramulis bipartito-dichotomis multifloris bractea subcuneiformi suffultis, corollae fauce appendiculata, lamina subrotundo-cordata, staminibus vix exsertis.

S. lucida, foliis inferioribus bipinnatis glaberrimis, racemis bipartitis. *Lin. sp. pl. 865. Will. sp. pl. 3. p. 277. Poir. dict. enc. 5. p. 36. Desf. atl. 2. p. 54. Pers. syn. 2. p. 161. Smith. fl. gr. pr. 2. p. 436. Spr. s. veg. 2. p. 786. Ten. fl. nap. 2. p. 57 !* excluso ex locis natalibus *Aprutio.*

S. lucida, foliis glabris subcarnosis inferioribus pinnatis pinnis pinnatifidis, superioribus cuneiformibus subincisis, panicula terminali subfoliosa. *Will. en. H. Ber. 2. p. 646*, et *H. Ber. ic. 1. p. 57 ?* ex *enum.*

Ic. *nostra t. 43. Sibth. fl. gr. t. 600 ?* ex *prodr. Will. l. c. t. 57 ?* ex *enum.*

S. saxatilis lucida, Laserpitii massiliensis folio. *Bocc. mus. p. 66. t. 117*; optima quoad inflorescentiam et habitum foliorum.

S. glauco folio, in amplas lacinias diviso. *Tourn. it. ed. Lyon. v. 1. p. 264, ed. Paris. v. 1. p. 84. t. 85*, male ad *S. filicifoliam* amandata a Cl. *Link* in *en. alt. H. Ber. 2. p. 140.*

In rupibus calcareis maritimis Japygiae, et Peucetiae, *da Gallipoli a Bari;* inque muris vetustis in *Otranto*, *Castro*, *Polignano:* prope Neapolim vero non provenit, ut male *Linnaeus*, ac post eum omnes recentiores affirmarunt.

Aprili, Majo. ♃

Planta glaberrima, adulta obscure virens, junior glaucescens. *Caulis* pro loci natura erectus vel adscendens, glaberrimus, obsolete tetragonus, brachiatus vel simplex. *Folia* pinnatifida vel bipinnatifida, laciniis circumscriptione subovatis vel cuneiformibus, varie incisis ac dentatis; nam vel incisodentatis, vel dentato-lobatis, vel etiam dentato-crenatis, semper vero lucidis ac crassiusculis, latisque magis fere quam longis, diametro 4-7-lineari; radicalia majora ac latiora; caulina sensim angustiora, breviora, minus composita, brevius petiolata, laciniisque acutiusculis. *Petioli* canaliculati, semiteretes, glaberrimi. *Racemus* in omnibus speciminibus loco natali lectis semper cylindraceus, plus minus confertus; *rami* inferiores ipsius bipartiti vel dichotomi, multiflori; superiores simplices, uniflori; omnes glabri vel glanduloso-pilosi, divaricato-patentes. *Flores* ad ramulorum paniculae dichotomias aeque ac ad illorum latera subsessiles, pedicellis

vix lineam longis. *Calycis* laciniae subrotundae, concavae, margine membranaceo albido subscarioso cinctae, glaberrimae, capsulis duplo breviores. *Corolla* pallide rosea, calyce duplo longior subglobosa, ut in congeneribus resupinata, concolor; lacinia media labii inferioris (superioris ex situ) brevissima, virescenti, oblonga, reflexa, in medio appendiculata eo loco, qui fauce imminet; lamina subrotundo-cordata, sessili, vel brevissime pedicellata, pallide-virenti, lineam lata ac longa: labio superiore (inferiore ex situ) laciniis subrotundis integris. *Stamina* subexserta, una cum antheris pallida. *Capsula* mucronata, glabra, subrotundo-ovata. *Semina* subtetragona, corrugato-rugosa.

A sequentibus omnino distincta, habitu, et foliorum laciniis latioribus; sed potissimum appendicis corollarum figura. Synonyma pauca retuli; nam apud quamplures auctores sequens pro *S. lucida* descripta invenitur.

SCROPHULARIA *MULTIFIDA*. *Will.*

S. foliis glaberrimis, inferioribus bipinnatifidis tripinnatifidisque, laciniis argute inciso-serratis, racemi paniculati ramis bipartitis paucifloris bractea lineari suffultis, corollae fauce appendiculata, appendice staminiformi ad basim corollae inserta, staminibus longe exsertis. *Will. en. H. Ber. 2. p. 646? Spr. s. veg. 2. p. 786.*

Ic. *nostra t. 44.*

Will. H. Ber. 1. p. 58. t. 58?, ex *horto l. c.*

In glareosis calcareis a regione subalpina ubi *Pinus Mughus*, *Artemisia spicata*, *Sibbaldia procumbens* ec. vegetant, usque ad demissiore ubique Aprutii monte occurrit.

Julio, Augusto. ♃ vel ♄

Caules caespitosi, erecti vel adscendentes, glabri vel pubescentes. *Folia* lucide virentia: laciniae duplo praecedentis laciniis angustiores, acutae, argute incisae, nunquam glaucescentes. *Flores* minores, corollis sanguineis, margine albis. *Corollarum* appendix 1-1 ½ lin. longa, basi corollae inserta, rudimentum quinti staminis mentiens. *Calycis* foliola albo-marginata, capsulis triplo breviora. *Rami* paniculae evidentius glanduloso-pilosi, bipartiti, nunquam dichotomi, remoti; ramulis divaricato-patentibus. *Corollae* sanguineae, margine albidae, praecedentis corollis paullo minores. *Capsula* ut in praecedente. *Semina* oblonga, corrugato-rugosa.

An haec sit vera *S. multifida Will.* affirmare non possum, cum nec iconem nec specimina exsiccata adhuc viderim. Judicent qui utrasque consulere poterunt.

SCROPHULARIA *BICOLOR. Sibth.*

S. foliis glaberrimis bipinnatifidis tripinnatifidisque, laciniis argute incisis angustatis, racemi pa-

*

niculati ramis dichotomis multifloris bractea lineari suffultis, corollae fauce appendiculata laminula alba lineari in medio labii superioris fauce imminente inserta, staminibus exsertis. *Smith fl. gr. pr. 2. p. 437.* ex loco! *Poir. dict. enc. supp. 5. p. 118.*

S. lucida, *Marsch. fl. tauric. cauc. 3. p. 416*, ex observatione in qua notatur » *labello albicante et laminula alba baseos labii superioris fauce imminente variegata* » potius ad hanc, quam ad *S. lucidam* spectat.

Ic. *nostra t. 45.*

Sibth. fl. gr. t. 602. ex prodr.

In collibus aridis, et arenosis maritimis Jonii.

Majo, Junio. ♃ et ♄

Caules virgati, basi caespitosi, subtetragoni, glaberrimi. *Folia* obscure virentia: laciniis praecedenti simillimis. *Racemi* elongati: ramis inferioribus dichotomis multifloris, glaberrimis, ramulis approximatis non ut in praecedente divaricatis. *Flores* in dichotomia sessiles, vel pedunculo 3-4-lineari instructi. *Corollae* ac *Stamina* ut in praecedente; tamen *appendix* non staminiformis sed constans ex laminula albida in medio labii inferioris (superioris ex situ) longitudinaliter adnata, non libera ut in praecedente.

Synonymon, S. orientalis chrysanthemi folio, flore minimo variegato, *Tourn. cor. 9.* ut *Smith l. c.* opinatur, ad hanc speciem spectat ex descriptione; sed Cl. *Marschal* in *fl. taur. caucas. 2. p. 78*, ex

autopsia herbarii Tournefortii ad *S. chrysanthemifoliam* certe pertinere asserit, quod si verum, tunc *S. bicolor* a *S. chrysanthemifolia* non differret, cum qua jam conjuncta a Cl. *Spr.* in *s. veg. 2. p. 786.* Sed ex descriptione Cl. *Marsch. l. c. vol. 3. p. 416,* et *Will. H. Ber. ic. 1. p. 59. panicula est foliosa* in *S. chrysanthemifolia,* quod in nostra minime observatur; et cum haec sit certe planta de qua loquitur Cl. *Sibth.*, quia ab illa quae in Sicilia provenit (ubi vir Cl. *S. bicolorem* collegit et depingi curavit) nullo modo differt, sic mihi videtur *S. bicolorem* et *S. chrysanthemifoliam* diversas species esse.

CLASSIS XV.

TETRADYNAMIA-SILICULOSA.

COCHLEARIA *SAXATILIS. Dec.*

C. siliculis lentiformibus levibus, foliis radicalibus oblongis dentatis pilosis, caulinis lineari-oblongis. *Dec. s. nat. 2. p. 359. Spr. s. veg. 2. p. 877.*

Camelina saxatilis. *Pers. syn. 2. p. 191.*

Myagrum saxatile. *Lin. sp. pl. 894. Will. sp. pl. 3. p. 409.*

Ic. *Jacq. austr. t. 120.*

In rupibus, et in saxosis montosis Aprutii rara; *Pietra Camela, Falde del Monte Intermesole.*

Junio, Julio. ♃

HUTCHINSIA *STYLOSA. Dec.*

H. foliis subcarnosis, inferioribus obovato-oblongis subintegris, caulinis oblongis, staminibus petalis et stylo siliculae apice emarginatae dimidio brevioribus, racemis corymbosis. *Dec. s. nat. 2. p. 387. Spr. s. veg. 2. p. 863.*

Iberis stylosa. *Ten. fl. nap. pr. p. 27. Brocch. osser. sugli Abruzzi n. 84. (in Bibl. ital. v. 14.)*

Ic. *nulla*

Ad nives deliquescentes solo pingui in alpinis Aprutii ; *Monte Corno, monte Costone, monte Intermesole, Majella.*

Julio, Augusto. ♂ vel ⊙

Caules 1-2-pollicares ; *folia* aliquando crenulato-dentata ; *flores* raro albidi, sed ut plurimum purpurei ; *silicula* non simpliciter obtusa, sed exacte emarginata ; quo praesertim charactere ab *H. rotundifolia* distinguitur ; nam silicula perfecta est stylis et petalis dimidio longior, sed immatura est dimidio brevior ; praeterea flores et siliculae sunt corymboso-racemosae, non conico-racemosae.

Icon *Thlaspi minimum, Ard. sp. 2. p. 37. t. 15. f. 2*, quae cum dubitationis signo ? sub hac specie refertur a Cl. *Ten.*, et a *Dec. l. c.* ad *Thlaspi alpestre* potius spectat, ad quod adducitur a Cl. *Pollini* in *fl. ver. 2. p. 758 ;* equidem ab *H. stylosa* differt racemo conico non corymboso, foliis caulinis oblongis non sagittato-lanceolatis, ec. Similiter icon *Iberis rotundifoliae Scopol. carn. ed. 2. v. 2. p. 15. n. 805. t. 37*, quoad silicularum figuram cum *H. stylosa* convenit, sed ob racemi formam recedit. Praeterea in icone *Scopolii* siliculae evidenter emarginatae sunt, quo charactere ab illis *Barr. 1505. f. 2*, et *All. fl. ped. t. 55. f. 2.* ad veram *H. rotundifoliam* spectantibus, omnino differt ; an ideo species propria ?

Denique admodum dubito *H. rotundifoliam* esse nostri Regni indigenam, uti Cl. *Brocchi* asserit

l. c. Fateor, me in jugis alpinis tam in *monte Corno* quam in *Majella* alibique, non nisi *H. stylosam* vidisse; quae ab *H. rotundifolia* difficillime distinguitur ob variabilem styli longitudinem nisi siliculae jam perfectae sint. Forsan huic rei tribuenda est iconum dissimilitudo, de qua quaeritur Cl. *Brocchi l. c.*

THESDALIA *LEPIDIUM*. *Dec.*

T. scapo nudo simplicissimo, foliis radicalibus rosulatis pinnatifidis, petalis aequalibus. *Dec. s. nat. 2. p. 392. Spr. s. veg. 2. p. 865.*

Lepidium nudicaule. *Lin. sp. pl. 898. Will. sp. pl. 3. p. 432. Pers. syn. 2. p. 187.*

Ic. *nostra t. 46. f. 1.*

In collibus arenosis orientem spectantibus Calabriae; *Regio.*

Martio, Aprili. ⊙

Radix annua, fibrosa, gracilis. *Scapus* cylindricus, teres, erectus, levis, glaberrimus vel subpubescens, laete virens, 1-3-pollicaris, rare ramosus, et foliolo uno aut altero instructus. *Folia radicalia* petiolata, plana, enervia, obtusiuscula, glaberrima et fere lucida, 6-8 lin. longa, alia integerrima lanceolata, alia profunde pinnatifida laciniis linearibus obtusiusculis; in aliis lacinia terminalis major, ideoque fere lyrata: *folium caulinum* lineari lanceolatum integrum, vel vix aliquando dentatum; gla-

brum ; unicum si scapus simplex, si vero ramosus sub quovis ramulo aliud adest. *Flores* corymbosi, *fructus* vero racemosi. *Pedunculi* teretes, alterni, glabriusculi, sub flore incrassati, erecti; in fructu patentes, 1-2 lin. longi. *Calyx* tetraphyllus; foliolis ovatis, obtusiusculis, concavis, dorso rubentibus, margine albidis integris, glaberrimis, petala subaequantibus. *Petala* alba, aequalia, incurva, obtusa, oblonga, basi angustiora. *Stamina* quatuor, ut ex *Lin.*, non 6 ut ex *Desf.*, per paria approximata ad latera compressa siliculae, petalis aequalia; *filamentis* incurvis, teretibus, basi dilatatis, glandula albida orbiculari fere insertis. *Stigma* sessile, villosum. *Germen* margine nigrum. *Silicula* subrotunda, emarginata, glaberrima et fere lucida, adscendens, inferne gibba, superne concava, septo prominulo, apicem versus margine membranaceo cincta 1 ½ lin. lata. *Dissepimentum* scariosum, semi-ovatum, acutum. *Semina* 1-2 in quovis loculamento, levia, compressa.

AUBRIETIA *DELTOIDEA*. *Dec.*

A. caule firmiusculo caespitoso dense pubescente, foliis pube ramosa stellata dense obtectis canescentibus, radicalibus spathulato-obovatis integris vel hinc inde angulato-dentatis, caulinis spathulato-oblongis integerrimis, dissepimento apice obliquo stylo hinc inserto, seminibus subrotundis.

Dec. s. nat. 2. p. 294. Reich. pl. cr. cent. 3. p. 36!, excluso synonymo *Columnae. Spr. s. veg. 2. p. 871.*

Alyssum deltoideum. *Lin. sp. pl. 908. Wilk. sp. pl. 3. p. 470. Pers. syn. 2. p. 193.*

Draba hesperidiflora. *Lam. dict. enc. 2. p. 328.*

Vesicaria deltoidea. *Poir. dict. enc. 8. p. 572.*

Farsetia deltoidea. *Brown.* in *H. Kew. ed. 2. v. 4. p. 97.*, sed excludendum est ab omnibus synonymon *Columnae*, et inde illud *Morisonii.*

Ic. *nostra t. 46. f. 2. Reich. l. c. t. 235. f. 389.*

In montosis rupibus calcareis Dauniae; *Monte Gargano.*

Martio, Aprili. ♃

Caules caespitosi, e rupibus dependentes demum erecti, dense cano-pubescentes, foliis undique vestiti, subflexuosi, 3-4-pollicares. *Folia* radicalia latiora, breviora, aliquando deltoidea, fere rosulata, 1-1 ½ lin. lata, 5-6 lin. longa. *Pedicelli* sub anthesi calycibus aequales, demum triplo longiores et ultra. *Petala* purpurea, calyce duplo vel triplo longiora, rotundata, non emarginata. *Siliculae* 4-5 lin. longae, altero latere obliquae, valvulis convexis stylo longioribus.

AUBRIETIA *COLUMNAE. Nob.*

A. caule filiformi flexuoso dependente foliisque oblongo-lanceolatis integris vel hinc inde dentatis (virentibus) hirsutis, pilis simplicibus ramosisque

stellatis, fasciculis sparsis, dissepimento apice aequali stylo in medio apicis inserto, seminibus oblongo-linearibus.

Ic. *nostra t. 46. f. 3.*

Lithoreoleucojon minimum, supinum, Valvensium. *Column. ecphr. 1. p. 282. t. 284 !*

Leucojum saxatile, thymifolio, hirsutum, coeruleo-purpureum. *Moris. hist. 2. s. 3. t. 8. f. 10 !* icon ex *Columna.*

In montosis rupibus Aprutii; *Morrone, Majella; Aversa* (*Column.*).

Majo, Junio. ♃

Caules quam in praecedente graciliores, e rupibus dependentes, flexuosi, invicem dense congesti ac intricati, 2-4-pollicares, virentes, fragiles. *Folia* approximata vel remota, saepius integra, aliquando lanceolata, laete virentia vel ad summum cinerascentia, plana, obtusiuscula, breviter petiolata, subtus nervo medio prominulo, 1-2 lin. lata, 3-6 lin. longa, erecta, suprema in apice ramulorum rosulata, ciliata, hirsuta, pilis stellatis simplicibus vel ramosis e tuberculo prodeuntibus: qui fasciculi pilorum sunt sparsi, non vero approximati foliumque dense obtegentes ut in praecedente; ita ut folia lente visa articulos *Cacti Opuntiae* imitentur. *Pedunculi* terminales, ramosi, pollicem vel sesquipollicem longi (hinc flores fere racemosi). *Pedicelli* alterni, erecti, sub anthesi calyce breviores, demum elongati et duplo fere longiores, siliculam vero ae-

*

quantes, glabriusculi. *Calycis* foliola linearia, obtusa, concava, 2-lin. longa, petalorum ungue subbreviora, pilis stellatis uti folia tecta, duo alterna basi subsaccata. *Petala* integra, limbo plano rotundato non emarginato, calycibus duplo longiora. *Siliculae* oblongae, pubescentes, 2 lin. longae, valvis concavis, subcarinatis, *stylo* demum fere duplo brevioribus. *Odor* totius plantae gravis fumum putens, et sapor quoque nauseosus, uti jam Cl. *Columna l. c.* notavit.

Species praecedenti affinis, et forsan cum illa confusa; sed habitu et indicatis characteribus procul dubio distincta, et cultura permanens.

ALYSSUM *LEUCADEUM*. *Nob.*

A caulibus basi suffruticosis, foliis oblongo-lanceolatis integris vel repando-dentatis incano, tomentosis, racemis elongatis, petalis semibifidis, siliculis subrotundo-ellipticis glabris, valvulis planis glaberrimis, loculis 3-4-spermis, seminibus compressis marginatis.

Ic. *nostra t. 47.*

In rupibus calcareis maritimis Japygiae; *Capo di Leuca, Gallipoli, Castro.*

Aprili, Majo. ♄

Radix sublignosa, tortuosa, inter saxa descendens. *Caules* erecti, basi suffruticosi ac rudimentis foliorum vestiti, incani, semipedales vel pedales,

simplices vel ramosi ; ramis erecto-patentibus. *Folia* utrinque incana pilis adpressis stellatis : *radicalia* subcanaliculata , obtusa vel acutiuscula erecto-patentia , margine saepius integra , subtus praesertim scabriuscula , obsolete nervosa ac lineata , 1 ½ - 2 poll. longa , 4-5 lin. lata , in petiolum supra sulcatum subtus carinatum attenuata ; *caulina* pauca , linearia , angustissima , obtusiuscula , sessilia , vix ½ lin. lata , 6-8 lin. longa. *Flores* lutei , in ramorum apice racemosi , racemis elongatis. *Pedunculi* erecti , demum patentes et elongati , pubescentes , teretes , siliculis duplo longiores , 3-7 lin. longi. *Calycis* foliola oblonga , concava , petalis dimidio breviora , obtusa , cano-pubescentia , vix lin. longa. *Petala* cuneiformia , glabra. *Filamenta* edentula. *Stylus* vix pubescens , lin. longus. *Siliculae* 3-4 lin. longae , 2-3 lin. latae , basi parum obliquae , compressae , utrinque rotundatae vel acutiusculae , facie subundulatae , glaberrimae. *Semina* 3-4 in quovis loculo , ferruginea , orbicularia.

Sequenti affine , sed differt foliis magis incanis et crassioribus *Cheiranthum incanum* aemulantibus , nunquam basi sinuato-dentatis ; caule minus paniculato minusque ramoso ; floribus intense luteis ; siliculis utrinque conformibus non apice rotundatis ac emarginatis , et basi attenuatis.

ALYSSUM *ORIENTALE. Ard.*

A. caulibus basi suffruticosis paniculatis, foliis obovato-oblongis lanceolatisque repando-dentatis undulatis tomentosis, siliculis orbiculatis transverse-ovalibus apice retusis truncatisve, valvulis planis glaberrimis, seminibus compressis marginatis, loculis 2-spermis. *Ard. specim. 2. p. 32. Will. sp. pl. 3. p. 463. Lam. dict. enc. 1. p. 98. Pers. syn. 2. p. 191. Dec. s. nat. 2. p. 303. Spr. s. veg. 2. p. 859. Ten. fl. nap. 2. p. 71.*

Clypeola tomentosa. *Lin. mant. 92.*

Ic. *Ard. l. c. t. 15. f. 1.*

In collibus aridis calcareis vel graniticis mari finitimis Calabriae orientalis; *Catanzaro, Corigliano, Cassano, Cariati.*

Martio, Aprili. ♄

BERTEROA *OBLIQUA. Dec.*

B. foliis sublinearibus undulatis canescentibus, petalis bifidis, siliculis ellipticis basi obliquis, valvulis planis pubescentibus. *Dec. s. nat. 2. p. 292.*

Alyssum obliquum. *Smith. fl. gr. pr. 2. p. 12. Poir. dict. enc. 5. p. 545.*

Farsetia obliqua. *Spr. s. veg. 2. p. 870.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 623* (ex *prodr.*).

Leucojum peltatum, romanum, minus. *Column. ecphras. 2. p. 58. t. 60?*

In campis aridis, collibusque calcareis maritimis Calabriae orientalis, et Japygiae; *da Catanzaro a Brindisi.*

Majo, Junio. 4

Planta viridi-cinerascens, undique tecta pilis stellatis brevibus, aliis longioribus intermixtis. *Caules* teretes, erecti 1-½-2½ ped. alti, ramosi, ramis erectis. *Folia* lineari-lanceolata, integerrima, acuta, subundulata, canaliculata, patentia, utrinque tuberculis scabriuscula, saepius recurvata et obliqua; radicalia hinc inde in medio dentata, petiolata; superiora sessilia. *Flores* odori, racemosi, pedunculati; *pedunculis* quandoque geminis, folio ac bracteola caduca suffultis, teretibus, siliculas duplo superantibus, 4-6 lin. longis, erecto-patentibus. *Calycis* foliola concava, incurva, vix carinata, integerrima, acuta, interne glabra, apicem versus margine membranacea, decidua. *Corolla* alba, dein pallide lilacina, calyce duplo longior, petalis bifidis vel bipartitis, cuneiformibus, glabris, laminis patentissimis, subtus lineatis carina et basi saepius virescentibus. *Stamina* duo minora corollae aequalia, basi intus dilatata: longiora corollae subaequalia, lateraliter denticulata, denticulo unico. *Stylus* silicula duplo triploque brevior. *Silicula* 2-lin. lata, 2½-3 longa, facie subundulata, loculis dispermis. *Semina* compressa, margine membranaceo cincta.

Cum dubio synonymon *Columnae* sub hac specie auctoritate Cl. *Smithii* et *Dec.* adduxi, quia

specimina hujus plantae prope Romam lecta et a Cl. *Mauri* mihi communicata (quae ad plantam *Columnae* certe pertinent ex loco natali) a nostra recedunt siliculae valvis convexiusculis non planis, ideoque potius ad *B. incanam* citata icon spectare videtur.

BISCUTELLA *SAXATILIS*. *Dec.*

B. siliculis utrinque emarginatis glabris punctis elevatis in disco exasperatis, foliis piloso-scabris, radicalibus oblongis. *Dec. s. nat. 2. p. 416. Pers. syn. 2. p. 193. Will. en. 2. p. 674. Bertol. am. it. p. 385. Spr. s. veg. 2. p. 857*, an cum synonymis?

a. foliis integris. *Dec. l. c.*

b. foliis inciso-dentatis, sinuato-pinnatifidisve. *Dec. l. c.*

Ic. *Ann. du Mus. t. 18. p. 301. t. 16. f. 1.*

In montosis Aprutii : varietas *a.*, *Valle chiarina, presso Aquila:* varietas *b.*, *Majella nella valle dell' Orfenta, e dell' Inferno.*

Junio, Julio. ♃

Siliculae in disco punctis exasperatae, ut ex descriptione *Dec.*, *Pers.*, *Bertol.* et *Will.*; sed a speciminibus ab Helvetia missis recedit, *habitu* firmiore, *caule* duplo triploque altiore; *foliis* majoribus, et ut uno verbo dicam *habitus B. levigatae*, *siculae* vero *B. saxatili* similes.

BISCUTELLA *RAPHANIFOLIA. Poir.*

B. siliculis utrinque emarginatis levibus glabris, foliis radicalibus lyratis. *Will. sp. pl. 3. p. 474. Lam. dict. enc. 3. p. 619. Pers. syn. 2. p. 193. Dec. s. nat. 2. p. 410. Biv. cent. pl. sic. 1. p. 20. Spr. s. veg. 1. p. 858.*

B. laxiflora. *Presl. del. prag. p. 11.* (etiam ex *Spr. l. c. v. 4. par. 2. p. 239.*)

Ic. Thlaspi biscutatum, Raphani aut Irionis folio. *Bocc. sic. 45. t. 23.*

b. siliculis margine ciliatis.

B. maritima. *Ten. fl. nap. 2. p. 78. Dec. l. c. Spr. l. c.*

c. siliculis undique piloso-hispidis, concoloribus.

B. lyrata. *Auctor. supracit.*

d. siliculis undique piloso-hispidis, margine discoloribus.

B. marginata. *Ten. fl. nap. pr. p. 38. Dec. l. c.*

In collibus ac campis aridis Calabriae orientalis, Peucetiae, et Japygiae, omnes relatae varietates passim occurrunt.

Martio, Aprili. ⊙

Hujus plantae siliculae quoad hirsutiem quam maxime variant, ita ut seorsum spectatae facile species diversae videantur; sed si in loco natali innumera individua observantur et comparantur, tunc certi limites inter illas difficillime inveniuntur;

ideoque praeeunte Cl. *Bivona man. pl. rar. sic. 4.* in *add. p. 37*, in unam speciem conjungendas esse putavi.

ISATIS *ALPINA. All.*

I. siliculis ovali-oblongis utrinque obtusis margine subfoliaceo-alatis glaberrimis latitudine fere triplo longioribus, foliis acute sagittatis. *All. ped. n. 944. Will. sp. pl. 3. p. 421. Dec. syst. nat. 2. p. 568. Pers. syn. 2. p. 194. Brocchi mem. sugli Abruzzi p. 23. Spr. s. veg. 2. p. 856. Ten. fl. nap. pr. supp. 4. p. 11.*

Ic. *All. l. c. t. 86. f. 2.*

In glareosis alpinis Aprutii; *Majella*, *Monte Costone*, *Monte Corno.*

Augusto, Septembri. ♃

Planta nostra ab icone *Allioni* nonnihil recedit, *habitu; foliis* basi acute sagittatis; *siliculis* angustioribus, non ellipticis, sed potius oblongis, nervis duobus interioribus non dentato-crispatis, sed rectis; apice latioribus et basi aliquando excisis, non utrinque aequaliter rotundatis. An species propria?

SISYMBRIUM *COLUMNAE. b. lejocarpum. Dec.*

S. caule villoso subincano, foliis runcinatis pubescentibus, lobis dentatis integrisque acutis, siliquis erectiusculis glabris, calyce laxo. *Dec. syst. nat. 2. p. 469.*

Ic. *Jacq. austr. t. 323.*

Rapistrum montanum, Irionis folio. *Column. ecphr. 1. t. 268.*

In glareosis submontosis Aprutii; *Pettorano, Sulmona, Aquila, Guardiagrele, Palena.*

Martio Aprili. ⊙

MATTHIOLA *CORONOPIFOLIA. Dec.*

M. caule suffruticoso erecto a basi ramosissimo, foliis linearibus integris ac dentato-pinnatifidis incano-tomentosis, siliquis linearibus breviter tricuspidatis pedicellatisque eglandulosis incanis, petalis undulatis. *Dec. syst. nat. 2. p. 173. Spr. s. veg. 2. p. 897.*

Cheiranthus coronopifolius. *Smith. fl. gr. pr. 2. p. 25.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 637* (ex prodr.).

Leucojum montanum, crucigerum, Coronopi folio. *Bocc. mus. 147. t. 111. f. 1-4.*

In rupibus calcareis demissis Aprutii meridiem spectantibus; *al Morrone presso Orsa diruta.*

Majo, Junio. ♄

MALCOMIA *PARVIFLORA. Dec.*

M. caule ramoso foliisque lineari-oblongis subintegris pube tomentoso-stellata obductis, pedicellis fructiferis subincrassatis calycis longitudine, siliquis patulis elongatis gracilibus pubescentibus. *Dec. syst. nat. 2. p. 442. Spr. s. veg. 2. p. 898.*

Hesperis parviflora. *Loisl. fl. gall. p. 414. Dec. fl. fr. v. 4. p. 654,* et *5. p. 590. Ten. fl. nap. pr. p. 39.*

Ic. *Loisl. l. c. t. 11. Dec. pl. gall. rar. t. 35.*

In arenosis maritimis Jonii ac Adriatici; et praeterea prope *Reggio* supra colles invenitur, ubi una cum *Saxifraga bulbifera, Illecebro echinato, Sagina erecta,* etc. promiscue vegetat.

Martio, Aprili. ⊙

ARABIS *ALBIDA. Stev.*

A. caule adscendente foliisque pube molli ramosa cano-villosis, radicalibus oblongo-spathulatis grandidentatis, caulinis cordato-sagittatis amplexicaulibus, siliquis erecto-patulis glabris. *Dec. syst. nat. 2. p. 277. Spr. s. veg. 2. p. 890,* an cum syn. ?

Ic. *Jacq. fil. ecl. 1. t. 71,* optima.

b. foliis radicalibus profunde dentatis.

A. canescens, foliis radicalibus spathulatis profunde dentatis incanis, caulinis subamplexicaulibus argutius dentatis, basi cordato-sagittata. *Brocchi osserv. nat. sugli Abruzzi* in *Bibl. it. t. 14. n. 88.*

In rupibus calcareis, et ad muros vetustos in montosis elatioribus Aprutii; *Roccarasa*, *Rocca di Mezzo* (ubi Cl. *Brocchi*).

Majo, Junio. ♃

De synonymo Cl. *Brocchi*, certus sum ex speciminibus in loco ab ipso auctore indicato collectis.

MORICANDIA *ARVENSIS. Dec.*

M. siliquis subtetragonis, foliis amplexicaulibus glaucis, radicalibus spathulatis summis cordatis integerrimis, caule suffruticoso. *Dec. syst. nat. 2. p. 626. Spr. s. veg. 2. p. 914.*

Brassica arvensis. *Lin. mant. 95. Will. sp. pl. 3. p. 546. Pers. syn. 2. p. 206. Lam. dict. enc. 1. p. 798.*

Ic. Brassica sylvestris, fabariae foliis. *Bocc. sic. t. 25. f. 3, 4.*

In collibus Calabriae orientalis; *Reggio*, *Capo di Bova*, *S. Leonardo*, *Cotrone;* ubi provenit solummodo in argillosis, ibique simul cum ipsa crescunt *M. falcata*, *Eryngium campestre*, *Convolvulus lineatus*, *Plantago albicans*, ac *Allium nigrum.*

Floret fere per totum annum. ♄

Caules solidi, teretes, leves, erecti vel adscendentes, ex glauco-purpurascentes vel virides, basi plus minusque suffruticosi. *Folia* amplexicaulia, spathulata, crassiuscula, integerrima, raro apice obsolete dentato-crenata, acutiuscula, levia, enervia, glaberrima, glaucescentia; superiora basi latiora, cordato-amplexicaulia, apice acuminata. *Pedunculi* glabri, leves, 2-4 lin. longi, erecti, calyce vel breviores vel subaequales. *Calyx* purpureo-violaceus, glaberrimus, unguibus corollae brevior; foliolis concavis, obtusiusculis, versus apicem coalitis, alternis dimidio angustioribus. *Corolla* violacea, aut ex violaceo-albida; unguibus linearibus, basi albidis, 6-lin. longis, liberis, glaberrimis; laminibus obovatis, concavis, vix aliquando retusis, venis intense purpurascentibus pulchre reticulatis. *Stamina* tetradynama, albida, antheris lutescentibus vix exsertis. *Pistillum* intense violaceum. *Siliquae* bipollicares et ultra, erecto-patentes, compresso-tetragonae, glaberrimae, valvis medio nervigeris, apice stylo conico acuto crasso terminatae.

B. suffruticosa, uti jam monuit Cl. *Dec.* et *Spr.* in *s. veg. l. c.* videtur hujus speciei varietas.

BRASSICA *GRAVINAE*. *Ten.*

B. caule foliisque villoso-hispidis, foliis inferioribus oblongo-obovatis runcinato-lyratis, dentibus lobisque obtusiusculis, calyce subpatulo, siliquis

glabris erecto-patentibus. *Ten. fl. nap. 2. p. 88. Dec. syst. nat. 2. p. 597. Spr. s. veg. 2. p. 910.*

Ic. *Ten. l. c. t. 62.*

Leucojum terrestre, majus, frigidarum regionum. *Column. ecphr. 1. p. 260. t. 262.*

In dumetis et vallibus montium Aprutii; *Majella*, *Monte Costone*, *Monte Corno* (*Monte de' fiori*, *Orsini*).

Junio, Augusto. 4

Brassica *tournefortii*. *Gou.*

B. caule subnudo ramoso stricto, foliis radicalibus hirtis petiolatis lyrato-pinnato-partitis, lobis ovatis oblongisve crenato-dentatis, siliquis longe pedicellatis demum patulis rostro angusto duplo longioribus. *Gou. ill. p. 44. Lam. dict. enc. 1. p. 747. Dec. syst. nat. 2. p. 602. Spr. s. veg. 2. p. 911.*

Ic. *Gou. l. c. t. 20. f. A.*

In arvis arenosis Calabriae orientalis, *Cotrone*, *Caporizzuto*; Lucaniae, *Torre a mare.*

Martio, Aprili. ♂

Caules apud nos 1-2-pedales; *folia* fere omnia radicalia, qua nota ab icone *Gou.* parum recedit. *Semina* rufescentia, sub lente minutissime punctata.

SINAPIS *DISSECTA*. *Lag.*

S. siliquis suberectis torulosis hispidulis rostro glabro ensiformi subbrevioribus, foliis pinnati-partitis, lobis angustis inciso-dentatis pinnatifidisve. *Lag. Cat. H. Madr. 1816. Dec. syst. nat. 2. p. 621.*

Ic. Raphanistrum luteum, Chelidonii quaterno folio, articulata siliqua. *Cupan. panph. sic. 2. t. 240. Bon. t. 44. f. 2.*

In Calabria orientali; *Stalatti, Catanzaro,* intra sata *Lini usitatissimi*, uti etiam et in Sicilia.

Martio, Aprili. ⊙

Habitus omnino *S. albae,* et nonnulla specimina inter duas hasce plantas media potius varietates quam species diversas esse probarent, sed cultura non mutatur.

SINAPIS *ARVENSIS*. *Lin.*

S. siliquis glabris multangulis torulosis rostro tenui subancipiti longioribus, caule foliisque pilosis. *Lin. sp. pl. 935. Will. sp. pl. 3. p. 554. Poir. dict. enc. 4. p. 344. Pers. syn. 2. p. 207. Dec. syst. nat. 2. p. 615. Spr. s. veg. 2. p. 913*, an excl. synonymo? *Ten. fl. nap. pr. p. 39.*

Ic. Rapistrum. *Dod. pempt. 675.*

b, foliis inciso-lyratis. *Dec. l. c.*

c. siliquis retrorsum pilosis.

d. undique hispido-pilosa et canescens, pilis omnibus patentibus.

In arvis argillosis Calabriae orientalis inter segetes varietates *a. b.* et *c.* passim occurrunt; sed varietatem *d.* solummodo prope *Brancaleone* vidi.

Aprili, Majo. ⊙

Varietas *b.* affinis admodum *S. orientali* ex descriptione Cl. *Dec. l. c.*, sed siliquae rostro longiores, et folia inferiora integra; varietas *d.* quamvis primo intuitu a specie diversa appareat, tamen ab illa nullo liquido charactere distincta. Confer *Bertol. am. it. p. 166.*

CLASSIS XVI.

MONADELPHIA–PENTANDRIA.

ERODIUM *GUSSONI. Ten.*

E. caule diffuso ramisque molliter retrorsum pilosis, foliis cordatis integris lobatisque dentato-crenatis pubescentibus, stipulis bracteisque scariosis ovatis, pedunculis multifloris elongatis, corollis calyce aristato duplo longioribus. *Ten. fl. nap. 2. p. 97. Dec. pr. s. nat. 1. p. 648. Link en. alt. H. Berol. 2. p. 185. Spr. s. veg. 3. p. 33.*

Geranium supinum, rotundo Batrachioides

crasso tomentoso folio, radice rufescente longius radicata. *Bocc. mus. p. 160 !*

Ic. *Ten. l. c. t. 63. Curtis Bot. mag. t. 2445. Bocc. l. c. t. 128.*

In depressis collibus maritimis calcareis herbosis, vel siccis Calabriae orientalis; *al Capo dell' Alice fra Cirò e Cariati;* et in tota Peucetia ac Japygia, ubi prope *Otranto* jam invenerat *Bocconius.*

Aprili, Majo. ♃

Caules non erecti, quales Cl. *Decandolle* describit, sed in spontaneis plantis semper diffusi, apice tantum sub anthesi aliquando surgentes. *Folia* calycina valde inaequalia, duo ceteris duplo latiora. *Petala* lineis tribus notata, et basi fasciculo pilorum instructa. *Umbellae* multiflorae, pedunculis 10-14, non pauciflorae ut ex *Link l. c.*

Erodium nervulosum Dec. pr. l. c. ex synonymo *Bocconi*, aut eadem species, uti Cl. *Spr. l. c.* opinatur; aut icon *Bocconi* ab hac excludenda, quia ad nostram plantam certe spectat. Sed *E. laciniatum* toto coelo diversum, et inde perperam cum hoc conjunctum a Cl. *Viviani* in *fl. Lyb. spec. p. 38.*

ERODIUM *CHIUM. Will.*

E. caule erecto vel subdiffuso, foliis glabris subcordatis inferioribus lobatis superioribus tripartitis, lobis lateralibus inciso-dentatis medio subtrifido, stipulis bracteisque ovato-lanceolatis, pedunculis multi-

floris. *Will. sp. pl. 3. p. 634. Pers. syn. 2. p. 224. Dec. pr. s. nat. 1. p. 647. Spr. s. veg. 3. p. 33.*

Geranium chium. *Lin. sp. pl. 951. Cav. diss. 4. p. 221. Lam. dict. enc. 2. p. 664.*

Ic. *Cav. l. c. t. 92. f. 1.*

In collibus maritimis Japygiae; Calabriae, *da Reggio a Spartivento.*

Aprili, Majo. ⊙

ERODIUM *LACINIATUM. Cav.*

E. caule diffuso foliisque glabris, caulinis bipinnatifidis laciniis linearibus acutis, radicalibus trilobis, stipulis bracteisque ovatis scariosis, pedunculis multifloris. *Will. sp. pl. 3. p. 633. Pers. syn. 2. p. 224. Dec. pr. s. nat. 1. p. 646. Spr. s. veg. 3. p. 34.*

Geranium laciniatum. *Cav. diss. 4. p. 228. Desf. atl. 2. p. 110. Lam. dict. enc. 2. p. 667.*

Ic. *Cav. l. c. t. 113. f. 3.*

In arenosis maritimis Calabriae orientalis; *da Melito a Spartivento, Suverato, Cariati, Cotrone;* Lucaniae, *Policoro;* Japygiae, *Torre a Mare, Torricella, Taranto.*

Aprili, Majo. ⊙

MALVA *CRETICA. Cav.*

M. foliis radicalibus cordatis subrotundis crenato-dentatis, caulinis inferioribus quinquelobatis, superioribus palmato-partitis, laciniis lanceolatis dentatis, pedunculis solitariis folio longioribus, calyce exteriore triphyllo foliolis linearibus, interiore laciniis ovato-lanceolatis acuminatis. *Cav. diss. 4. p. 67. Will. sp. pl. 3. p. 785. Pers. syn. 2. p. 251. Desr. dict. enc. 3. p. 744. Dec. pr. s. nat. 1. p. 431. Ten. fl. nap. 2. p. 106. Spr. s. veg. 2. p. 90.*

Alcea minor sicula, flore minore. *Raj hist. 1. p. 605. n. 3 !*

Ic. *Cav. diss. 5. t. 138. f. 2.*

In collibus aridis, interque segetes Calabriae orientalis, *da Reggio a Brancaleone, Catanzaro, Roseto;* Japygiae, *Torre a mare, Avetrana, Manduria.*

Aprili, Majo. ⊙

M. hirsuta Ten. fl. nap. pr. p. 40, quae diversa a *M. hirsuta Viv. fl. Lyb. spec. p. 12*, ad hanc speciem, et minime ad *M. altheoidem* spectat, ad quam trahitur a Cl. *Dec.* in *pr. l. c.;* et forsan *M. altheoides* ipsa nonnisi *M. creticae* varietas est. Nam *Cavanilles*, qui primus *M. creticam* descripsit,

fatetur unicum vidisse exemplar in herbario *D. Isnardi* apud *Jussieu*, idemque vidit *Desr.* ex *dict. enc. l. c.*, nec post ipsos, quantum scio, ab alio, et ab ipso *Sibthorpio* observata fuit. Interim cum haec species, dum adhuc est junior, habeat folia subrotundo-lobata, quae inde palmato-partita evadunt, nihil mirum si icon et descriptio ad unicum exemplar vix explicatum factae, folia subrotundo-lobata demonstrent, et inde Botanicis suaserint has duas species ut diversas recensere; nam, quantum ex icone et descriptione conjici potest, *M. altheoides* sola caulis directione, et corollarum magnitudine a *M. cretica* jam bene explicata differre videtur.

MALVA *ROTUNDIFOLIA. Lin.*

M. caule diffuso-prostrato, foliis orbiculato-cordatis obsolete lobatis glabriusculis crenato-dentatis, pedunculis subbinis demum declinatis, corollis (parvis) calyce duplo longioribus, capsulis levibus pubescentibus. *Lin. sp. pl. 969. Cav. diss. 2. p. 79. Pers. syn. 2. p. 251. Desr. dict. enc. 3. p. 752. Dec. pr. s. nat. 1. p. 432. Spr. s. veg. 3. p. 90. Reich. pl. crit. cent. 1. p. 20. Ten. fl. nap. 2. p. 107.*

Ic. *Cav. l. c. t. 26. f. 3. Reich. l. c. t. 20. f. 37!*

In ruderatis, ac ad Pagos in montosis Samnii et Aprutii; tamen apud nos nunquam in demissis, vel maritimis provenit.

– Majo, Septembri. 4

Capsularum discus in hac specie majusculus; at minimus in affini *M. boreali.* Confer *Reich. l. c.*

LAVATERA *AMBIGUA. Dec.*

L. caule herbaceo hispido-scabro, foliis tomentosis inferioribus quinquelobo-angulatis superioribus trilobis, lobis lanceolatis acutis dentatis medio duplo longiore, pedunculis solitariis folio brevioribus, capsulis denudatis. *Dec. pr. s. nat. 1. p. 440.*

L. sylvestris. *Ten. fl. nap. pr. p. 40*, non *Broter.*

Althea sylvestris. *Brig. pempt. p.*

Ic. *Brig. l. c. t. 4.*

In dumetis montosis Samnii, ac Calabriae, et ad sepes Aprutii.

Junio, Julio. 4

Calycem exteriorem semper trilobum vidi; sed aliquando lobi majores ad alterum latus lobum minorem habent, et tunc calyx 3-6-lobatus primo intuitu videtur; hinc nihil mirum, si ad *Altheas* hanc speciem retulerit Cl. *Brig. l. c.*

Cl. *Dec. l. c.* male ad sect. IV. (*Anthema*) complectentem species receptaculo parvo foveolato, nec exserto, nec in cristas expanso hanc refert; nam receptaculum centrale est conicum ac exsertum, et ideo ad sect. II. (*Olbia*) spectat. Perperam vero cum *L. trimestri* conjuncta a Cl. *Spr. l. c.*

LAVATERA *HISPIDA*. *Desf.*

L. caule fruticoso pilis fasciculatis hispido, foliis subcanescentibus 5-lobis summis trilobis indivisisque, floribus subsessilibus, calyce exteriore tripartito maximo hirsutissimo. *Desf. atl. 2. p. 118. Will. sp. pl. 3. p. 793. Poir. dict. enc. supp. 3. p. 309. Pers. syn. 2. p. 252. Dec. pr. s. nat. 1. p. 438. Spr. s. veg. 3. p. 93. Ten. fl. nap. pr. p. 40.*

Ic. *Desf. l. c. t. 171.*

In sepibus, et dumetis Calabriae orientalis; *Cariati, Corigliano, Ciró.*

Majo, Junio. ♄

LAVATERA *ARBOREA*. *Lin.*

L. caule arborescente, foliis obtuse angulatis subtomentosis plicatis, pedunculis axillaribus unifloris confertis petiolo multo brevioribus. *Lin. sp. pl. 972. Will. sp. pl. 3. p. 793. Desr. dict. enc. 3. p. 431. Cav. diss. 2. p. 86. Pers. syn. 2. p. 252. Dec. pr. s. nat. 1. p. 439. Ten. fl. nap. 2. p. 111. Spr. s. veg. 3. p. 93.*

Ic. *Cav. l. c. t. 139. f. 2.*

Malva arborea. *Dod. pempt. 563.*

In rupibus maritimis calcareis Japygiae; *da Leuca a Castro.*

Januario, Aprili. ♄

LAVATERA *NEAPOLITANA*. *Ten.*

L. caule herbaceo scabro erecto, foliis subcordatis 7-nerviis obtusissime 7-lobatis crenatis, pedunculis axillaribus aggregatis, lobis calycis interioris exteriorem superantis acuminatis, petalis obcordatis. *Ten. fl. nap. 2. p. 113. Dec. pr. s. nat. 1. p. 439.*

Ic. *Ten. l. c. t. 65.*

In cultis Calabriae orientalis, ac in arvis maritimis; *S. Leonardo*, *Cirò*, *Cotrone*, *S. Ilario*; Japygiae, *Taranto*.

Majo, Augusto. ♂

Corollae magnitudine illarum *Malvae nicaensis*. *Receptaculum* parvum non exsertum.

Cum *L. sylvestri Brot.* hanc speciem conjungit Cl. *Spr.* in *s. veg. 3. p. 94*, sed Cl. *Dec. l. c.* uti diversas enumerat. Defectu speciminum, et operis Cl. *Broteri* judicent, qui utrasque conferre poterint.

MALOPE *MALACOIDES*. *Lin.*

M. foliis ovatis crenatis, stipulis oblongo-linearibus, pedunculis axillaribus unifloris. *Lin. sp. pl. 974. Will. sp. pl. 3. p. 799. Cav. diss. 2. p. 84. Desr. dict. enc. 3. p. 689. Pers. syn. 2. p. 253. Dec. pr. s. nat. 1. p. 429. Spr. s. veg. 3. p. 87.*

Ic. *Cav. l. c. t. 27. f. 1.*

Malva Betonicae folio. *Bocc. sic. t. 8. f. 2.*

b. sinuata; foliis superioribus sinuatis vel palmato-partitis. *Dec. pr. l. c.*

Ic. *Cav. l. c. t. 27. lit. X.*

In arvis argillosis Calabriae orientalis, et Japygiae: varietas *b.* in Calabriae maritimis, *Catanzaro, S. Leonardo di Cutro, Cotrone.*

Aprili, Majo. ♂ et 4

CLASSIS XVII.

DIADELPHIA–OCTANDRIA.

POLYGALA *comosa. Schkuhr.*

P. basi suffrutescens, foliis imis parvulis sparsis obovatis reliquis linearibus, calycinis foliolis lateralibus ellipticis capsula obcordata longioribus eique aequilatis, bracteis flores virgineos superantibus. *Schkuhr. handb. 2. p. 324. Reich. pl. crit. cent. 1. p. 27.*

Ic. *Schkuhr. l. c. t. 194* (ex *Reich.*).

Reich. l. c. t. 26. f. 54.

Ad sepes, et in collibus herbidis Calabriae orientalis; *S. Luca, lo Bianco nuovo.*

Majo, Junio. 4

SPARTIUM *INFESTUM*. *Presl.*

S. ramis striatis spinosis, foliis ternatis, foliolis obovatis subtus sericeis, leguminibus compressis bracteis calycibusque pilis adpressis sericeis. *Presl. del. Pr. p. 33.*

Ic. *nulla.*

Ad sepes Calabriae, et in fruticetis maritimis; *da Reggio a Cassano.*

Aprili, Majo. ♄

ONONIS *ALOPECUROIDES*. *Lin.*

O. caule basi ramoso subpiloso, foliis simplicibus ovato-oblongis ellipticisque obtusis, stipulis dilatatis subserratis, floribus dense spicatis, calycinis laciniis hispidis corolla et legumine fere duplo longioribus. *Lin. sp. pl. 1008. Will. sp. pl. 3. p. 994. Pers. syn. 2. p. 290. Lam. dict. enc. 1. p. 506. Desf. atl. 2. p. 146. Dec. pr. s. nat. 2. p. 163.*

Ic. *Schkuhr. t. 194*, ex *Dec. l. c.*

Inter segetes, et in arvis argillosis Calabriae orientalis ac Lucaniae.

Aprili, Majo. ⊙

Cl. *Smith.* in *fl. gr. pr. 2. p. 57*, et *Spr.* in *s. veg. 3. p. 180* male hanc speciem cum *O. monophylla Desf.* conjungunt, nam quamvis sint species valde proximae, tamen habitu aliisque characteribus satis differunt, uti jam monuit Cl. *Viv.* in *Fl. Cors.*

diagn. spec. nov. p. 13. Equidem in *O. monophylla* folia sunt basi angustata, caulis superne valde ramosus, flores laxiores, corollae calyci aequales; dum in *O. alopecuroide* folia sunt semper basi cordata, caulis a basi ad medium ramosus, flores confertissimi, corollae calyce duplo breviores.

ONONIS *POLYMORPHA. Nob.*

O. subviscoso-pubescens, foliis inferioribus ternatis superioribus simplicibus, foliolis elliptico-oblongis a medio ad apicem serrulatis, pedunculis unifloris muticis aristatisque folia demum excedentibus, calycibus nervosis corollae aequilongis, leguminibus pendulis 4-6-spermis stylo reflexo persistenti mucronatis calyce sublongioribus.

Ic. *nostra t. 48.*

In collibus aridis, et in alveis exsiccatis arenosis torrentium Calabriae orientalis, *Pentadattilo, Melito, Catanzaro;* Japygiae, *Taranto, Otranto, Lecce, Manduria.*

Aprili, Majo. ⊙

Planta inodora, exceptis foliis inferioribus undique pubescens, pilis mollibus patentibus, ad folia superiora et ad calyces glanduliferis. *Caules* erecti, palmares vel semipedales, ramosi, ramis decumbentibus vel adscendentibus. *Foliola* obtusa, aut vix emarginata, pallide virentia, ciliata, subtus nervosa, 2-4 lin. lata, 5-10 lin. longa. *Stipulae* triangulares,

cum petiolo connatae, nervosae, integrae, ciliatae. *Petioli* brevissimi, vix lin. longi ab apice stipulae, semiteretes, supra sulcati. *Pedunculi* floriferi erecti, fructiferi elongati, et apice ad articulationem refracti, mutici vel raro aristati. *Calycis* laciniae lanceolatae, acutae, trinerves, corollae aequales, sub anthesi patentes, demum conniventes. *Flores* lutei, erecti, parvi. *Corollae* vexillum planum, calycem vix excedens, emarginatum, externe lineis rubentibus pictum, interne concolor, exsiccatione rubescens; *alae* et *carina* pariter concolores. *Legumen* pendulum, pubescens, subcompressum, cylindricum, calycem vix excedens.

Affinis *O. pubescenti;* at differt pedunculis minime brevissimis, sed elongatis, et petiolum multum excedentibus; calycinis foliolis acutis, non obtusis et maximis, ut ex *Gou. ill. p. 47;* leguminibus polyspermis. De hac loquitur Cl. *Dec.* in *pr. s. nat. 2. p. 160*, dum ait » Legumen calyce brevius 2-» spermum ex *Brot;* calyce paulo longius et 4-6-» spermum in specimine siculo herbarii *Morican-» dii* »; nam ex Sicilia hujus plantae specimina amicissimo *Moricandio* communicavi: et inde recte suspicatur Cl. *Dec.* plures species diversas sub *O. pubescentis* nomine esse confusas.

ONONIS *ORNITHOPODIOIDES. Lin.*

O. herbacea viscoso-pubescens, foliis ternatis, foliolis oblongis, pedunculis 1-2-floris aristatis petiolo brevioribus, leguminibus torulosis linearibus cernuis. *Lin. sp. pl. 1009. Will. sp. pl. 3. p. 1005. Lam. dict. enc. 1. p. 509. Pers. syn. 2. p. 291. Ten. fl. nap. 2. p. 138. Dec. pr. s. nat. 2. p. 160. Spr. s. veg. 3. p. 183.*

Ic. *Cav. ic. rar. 2. t. 92.*

Anonis lutea, pusilla, viscosa, Ornithopodii siliquis singularibus. *Cup. panph. sic. 1. t. 201. Bon. t. 20.*

In aridissimis collibus Calabriae orientalis; *Catanzaro, Corigliano, Cassano;* Japygiae, *Leuca.*

Aprili, Majo. ⊙

ANTHYLLIS *HERMANNIAE.*

A. frutescens ramosissima, ramis subspinescentibus glabriusculis, foliis subsessilibus simplicibus ternatisque, foliolis oblongo-cuneatis adpresse pubescentibus, capitulis paucifloris ad axillas superiores subsessilibus. *Lin. sp. pl. 1014. Will. sp. pl. 3. p. 1020. Pers. syn. 2. p. 293. Dec. pr. s. nat. 2. p. 169. Spr. s. veg. 3. p. 184.*

Aspalathus cretica. *Lin. sp. pl. 1002. Lam. dict. enc. 1. p. 291.*

Cytisus graecus. *Lin. sp. pl. 1043*, ex *Smith. fl. gr. pr. 2. p. 60.*

Ic. *Bot. mag. t. 2576*, ex *Dec. l. c.*

Sibth. fl. gr. t. 683, ex *prodr.*

Spartium spinosum. *Alp. exot. p. 27. t. 26.*

Genista arborea cretica, foliis sempervirentibus. *Zann. hist. p. 99. t. 39.*

In asperis aridissimis collibus calcareis maritimis Calabriae orientalis; *Capo Rizzuto fra Cotrone e Catanzaro;* Japygiae *Gallipoli.*

Aprili, Majo. ♄

LUPINUS *ANGUSTIFOLIUS. Lin.*

L. calycibus alternis appendiculatis, labio superiore bifido vel bipartito inferiore subintegro, foliolis lineari-lanceolatis. *Lin. sp. pl. 1015. Will. sp. pl. 3. p. 1024. Pers. syn. 2. p. 294. Desr. dict. enc. 3. p. 624. Dec. pr. s. nat. 2. p. 407. Spr. s. veg. 3. p. 228. Ten. fl. nap. pr. p. 41.*

Ic. *Sibth. fl. gr. t. 685*, ex *prodr.*

b. flore albo.

In collibus aridis, et inter segetes Calabriae orientalis, Lucaniae, Japygiae, Peucetiae: varietas *b. Reggio*, uno cum *L. luteo.*

Aprili, Majo. ⊙

Foliola 7-8, plana vel canaliculata; calycis *labium superius* nunc bifidum nunc bipartitum, in-

ferius integrum vel 2-3-dentatum in eadem planta; *semina* concoloria vel maculata. An *L. linifolius Will.* eadem species?

OROBUS *ATROPURPUREUS. Desf.*

O. caule tereti simplici, foliis subtrijugis, foliolis linearibus, stipulis semisagittatis aristatis, pedunculis multifloris. *Desf. atl. 2. p. 157. Will. sp. pl. 3. p. 1075. Pers. syn. 2. p. 303. Poir. dict. enc. supp. 4. p. 203. Dec. pr. s. nat. 2. p. 376. Spr. s. veg. 3. p. 259.*

Ic. *Desf. l. c. t. 196.*

b. caule angulato ramoso.

O. siculus. *Rafin. carat. p. 72.*

O. Rafinesquii. *Presl. del. Pr. p. 41.*

Ic. Vicia angustifolia, frutescens, erecta, purpurea, tetra-di et distophyllos. *Cup. panph. sic. 1. t. 136.*

In arvis argillosis Calabriae orientalis; *Cotrone, Cassano.*

Aprili, Majo. ⊙

LATHYRUS *ODORATUS. Lin.*

L. caulibus diffusis alatis, foliis unijugis hirsutis, foliolis ovato-oblongis, stipulis semisagittato-lanceolatis, pedunculis 2-3-floris folio longioribus, leguminibus oblongo-linearibus compressis hirsutis. *Lin. sp. pl. 1032. Will. sp. pl. 3. p. 1083. Lam. dict. enc.*

2. p. 707. Pers. syn. 2. p. 305. Dec. pr. s. nat. 2. p. 374. Spr. s. veg. 3. p. 263.

Ic. L. distoplatyphyllos, hirsutus, mollis, magno et peramoeno flore odoro. *Comm. hort. 2. t. 80.*

In sepibus, et in dumetis humentibus Calabriae orientalis; *Bianco nuovo, Capo Rizzuto, Capo Colonna.*

Aprili, Majo. ⊙

LATHYRUS *CILIATUS. Nob.*

L. foliis 2-raro-3-jugis, inferiorum foliolis cuneiformi-obovatis retusis mucronatis ciliatis, superiorum linearibus elongatis acutis, petiolis setula terminatis, pedunculis unifloris ultra medium articulatis petiolo brevioribus, leguminibus linearibus compressis cernuis 4-5-spermis.

Ic. *nostra t. 49.*

In aridissimis collibus Calabriae orientalis; *Capo dell' Armi, Capo di Bova, colline aride di Melito.*

Aprili, Majo. ⊙

Caules plures ex eadem radice, decumbentes, simplices vel ramosi, graciles, angulati, glabri, vel inferne ciliato-pubescentes, palmares vel pedales, internodiis superioribus elongatis. *Folia* virentia; *inferiora* foliolis lin. latis villoso-pubescentia, 2-2½ lin. longis; *superiora* foliolis linearibus, canaliculatis, acutis, glaberrimis, vix semilineam latis,

8-14 lin. longis. *Petioli* canaliculati, subtus carinati, setula simplici semper terminati, saepe superne pubescenti-villosi et ciliati, 4-6 lin. longi. *Stipulae* lineares; altera integra, semisagittata vel basi dentata. *Pedunculi* sub lente scabri, glaberrimi, graciles, ultra medium articulati, sub anthesi erecti, in fructu ultra articulationem arcuati, ab hac ad basim recti. *Calyces* glabri, obsolete nervosi, lineam longi (et ultima pedunculi parte post articulationem aequales), 5-dentati, dentibus triangularibus, superioribus brevioribus. *Corollae* parvae, calyce duplo longiores, 2-lin. longae (*L. angulato* similes); *vexillo* virescenti venis violaceis pictum, erectum, emarginatum; *alae* et *carina* concolores, viridi-lutescentes; *carina* alis breviore. *Legumina* glaberrima, utrinque attenuata, 8-10 lin. longa, 2 lin. lata, enervia, ecarinata. *Semina* parva, globosa, glaberrima, levia, nitida, ex viridi et rufo variegata.

LATHYRUS *PURPUREUS*. *Presl.*

L. foliis bijugis, foliolis linearibus, stipulis semisagittatis, pedunculis unifloris bracteatis supra medium articulatis stipula longioribus, leguminibus lanceolatis. *Presl. del. Prag. p. 39.*

Ic. *nulla.*

Inter segetes Calabriae orientalis.

Aprili, Majo. ☉

VICIA *ATROPURPUREA. Desf.*

V. villosa, foliolis oblongo-linearibus mucronatis, stipulis semisagittato-lanceolatis basi profunde dentatis, pedunculis multifloris folio subaequalibus, floribus approximatis, dentibus calycinis setaceis pilosis tubo longioribus, leguminibus oblongis compressis hirsutissimis, seminibus globosis subvelutinis (nigris). *Desf. atl. 2. p. 164. Will. sp. pl. 3. p. 197. Poir. dict. enc. 8. p. 554. Pers. syn. 2. p. 306. Dec. pr. s. nat. 2. p. 359. Ten. fl. nap. pr. supp. 1. p. 62.*

Ic. *Vent. H. Cels. t. 84.*

Inter segetes Calabriae orientalis, Lucaniae, Japygiae, Peucetiae.

Aprili, Majo. ⊙ !

Haec et non *V. perennis* in Calabria provenit, secus ac opinatur Cl. *Spr.* in *s. veg. 3. p. 268*; nam semper annuam, non vero perennem vidi; haec nostra cum icone citata omnibus numeris convenit, dum a speciminibus gallicis *V. perennis* omnino recedit.

CORONILLA *JUNCEA. Lin.*

C. fruticosa glabra, foliis ternatis quinatisque glaucescentibus carnosis, foliolis lineari-oblongis obtusis, stipulis minimis, umbellis 5-7-floris. *Lin. sp. pl. 1047. Will. sp. pl. 3. p. 1149. Lam. dict. enc. 2. p. 121. Pers. syn. 2. p. 314. Dec. pr. s. nat.*

2. p. 309. Spr. s. veg. 3. p. 324. Ten. fl. nap. pr. p. 42.

Ic. *Bot. reg. t. 820*, ex *Dec.*

Dorychnium luteum, hispanicum, carnosius. *Barr. ic. 133.*

In collibus aridis maritimis Japygiae; *Taranto Gallipoli, Torricella.*

Aprili, Majo. ♄

CORONILLA *MINIMA. Lin.*

C. suffruticosa diffusa glabra, stipulis concretis bidentatis summis majusculis deciduis, foliolis 7-11 subrotundo-ellipticis glaucis infimis a caule remotis, lomentis nodosis angulato-alatis subtetragonis. *Lin. sp. pl. 1048. Will. sp. pl. 3. p. 1151. Pers. syn. 2. p. 314. Dec. pr. s. nat. 2. p. 309. Ten. fl. nap. pr. p. 42.*

C. vaginalis. *Lam. dict. enc. 2. p. 121. Spr. s. veg. 3. p. 324. Reich. pl. cr. cent. 1. p. 31.*

Ic. *Jacq. austr. t. 271! Reich. l. c. t. 31. f. 65!*

Polygalum Cortusi. *Bauh. hist. 2. p. 351!*

Lotus enneaphyllos. *Dalech. hist. 510?*

In asperis calcareis elatioribus montosis Aprutii; *Majella* a *Scrimacavallo*, una cum *Saxifraga caesia*, et *Scabiosa silenifolia.*

Julio, Augusto. ♄

Quamvis Cl. *Reich. l. c.* dubitet num haec, an sequens sit vera *C. minima Lin.*, tamen ex hujus

*

auctoris descriptione in *Amoen. acd. 4. p. 327*, in qua legumina angulato-nodosa dicuntur, potius hanc quam sequentem indicare videtur. Florum numerus in utrisque in umbellis variat.

CORONILLA *CORONATA*, *a. minor. Reich.*

C. suffruticosa adscendens, stipulis parvis concretis oppositifoliis bidentatis, foliolis 5-9 obovatis glaucis infimis caule approximatis, lomentis subteretibus. *Reich. pl. cr. cent. 1. p. 31*, an excluso synonymo *Linn?*

Ic. *Reich. l. c. t. 32. f. 66.!*

In collibus argillosis submontosis Samnii et Aprutii.

Junio, Julio. ♄

Caulis in hac varietate subdiffusus vel adscendens, nunquam erectus, palmaris vel ad summum pedalis. *Legumina* teretia vel obsolete angulata, et inde a praecedente diversissima.

HIPPOCREPIS *CILIATA*. *Will.*

H. pedunculis 2-4-floris folio subbrevioribus, lomentis planis arcuatis margine interiore sinuatis ad semina villoso-hispidis. *Dec. pr. s. nat. 2. p. 313. Spr. s. veg. 3. p. 323. Ten. fl. nap. 2. p. 163.*

Ic. Ferrum equinum alterum polyceraton. *Column. ecphr. 1. t. 300 !*

In collibus Calabriae; *Reggio, Capo dell'Armi, Catanzaro, Roseto*; Japygiae, *Taranto, Nardò, Gallipoli, Otranto, Lecce.*

Aprili, Majo. ⊙

HEDYSARUM *ECHINATUM. Nob.*

H. caule suberecto velutino, foliis omnibus pinnatis petiolatis, foliolis linearibus mucronatis superne pilosis subtus pubescenti-sericeis exquisite nervosis, spicis cylindricis brevibus, alis falcatis acuminatis dentibus calycinis duplo brevioribus, leguminibus monospermis dorso cristato-aculeato, lateribus foveolatis antice aculeatis.

Ic. *nostra t. 50.*

In aridissimis collibus calcareis Japygiae.

Aprili, Majo. 4

Radix perennis, fusca, fere crassitie calami. *Caules* ex eadem radice plures, erecti vel declinati, leviter striati, simplices, palmares vel pedales, superne subflexuosi. *Folia* impari-pinnata, 6-10-juga, omnia petiolata; foliolis oppositis alternisque brevissime petiolatis, integerrimis, utrinque obtusis, mucronulatis, superne virentibus ac adpresse pubescentibus pilis sparsis, lineam latis, 5-6 lin. longis. *Petioli* communes semiteretes, superne sulcati. *Stipulae* membranaceo-scariosae, ovato-lanceolatae, subaristatae; aliquando simul coalescunt, et tunc stipulam unicam oppositifoliam vaginantem

apice bidentatam mentiuntur. *Flores* pallide carnei, subsessiles, in apice pedunculorum dense spicati. *Pedunculi* teretes, striati, elongati, 4-6 pollices longi, axillares, stricti. *Bracteae* ad singulum florem tres; quarum una ad pedicelli insertionem major, linearilanceolata, acuminata, scariosa, nervo fusco notata; aliae duae ab basin calycis, setaceae, minutissimae, adpressae, brevissimae. *Pedicelli* brevissimi, pubescentes. *Calyx*, tubo brevissimo subangulato, cōnico, apicem versus inter dentes scarioso; dentibus subulatis, tubo duplo longioribus, rectis, subaequalibus; unico inferiore ceteris breviore. *Corollae vexillum* superne carinatum, apice emarginatum, lineis carneis pictum, glabrum, dentibus calycinis duplo longius; *alae* falcatae, acutae, glabrae, omnino candidae; *carina* vexillo aequalis, dorso virescens. *Legumen* monospermum, calyce persistente sub inclusum, compressum, villosum; cristae aculeis rectis, vel uncinatis, dentibus calycinis subaequalibus. *Semen* subcompressum, rufescens, reniforme.

Valde affine *H. albo Wald.* et *Kit. pl. rar. Hung. t. 111*, sed diversum radice nunquam prope collum ita crassa ut in illo; foliis omnibus petiolatis non superioribus sessilibus; alis falcatis, acuminatis, longioribus; leguminibus ad latera foveolatis.

Ad pascua artificialia conficienda in aridis collibus calcareis perutilis species, nam defectu imbrium nihil patitur, et a jumentis valde expetitur.

OXYTROPIS *MONTANA. Dec.*

O. subacaulis villosa, pilis petiolorum et scapi patulis, foliolis elliptico-lanceolatis, scapis vix folio longioribus, racemis abbreviatis, bracteis calyce dimidio brevioribus, leguminibus erectis tereti-oblongis villosis stylo inflexo acuminatis. *Dec. pr. s. nat. 2. p. 275. Pers. syn. 2. p. 331.*

Phaca montana. *Spr. s. veg. 3. p. 292.*

Astragalus montanus. *Lin. sp. pl. 1070. Will. sp. pl. 3. p. 1302. Lam. dict. enc. 1. p. 318*, et *Poir. supp. 1. p. 525. Ten. fl. nap. pr. p. 43.*

Ic. Astragalus montanus. *Jacq. austr. t. 167. Scop. carn. ed. 2. v. 2. t. 45.*

Astragaloides alpina, purpurea, villosa pumila, foliis brevibus acuminatis. *Till. h. pis. t. 14. f. 3*, mala, quia legumina pendula.

In glareosis alpinis Aprutii; *Monte Costone, Monte Corno, Majella.*

Julio, Augusto. ♃

OXYTROPIS *CAMPESTRIS. Dec.*

O. acaulis, foliis multijugis, foliolis lanceolatis sericeis, scapo subdecumbente foliis subaequali, spicis capitatis, bracteis calyce subbrevioribus, leguminibus inflatis ovatis pubescentibus floribusque erectis. *Dec. pr. s. nat. 2. 278. Pers. syn. 2. p. 333. Tenii fl. nap. pr. supp. 4. p. 11.*

Phaca campestris. *Spr. s. veg. 3. p. 292.*

Astragalus campestris. *Linn. sp. pl. 1702. Will. sp. pl. 3. p. 1317. Lam. dict. enc. 1. p. 317*, et *Poir. supp. 1. p. 527.*

Ic. *Hall. helv. t. 13. Scheuchz. it. alp. p. 330. ic. b.* foliis calycibusque virentibus.

In alpinis glareosis Aprutii; *Majella*, *Monte Costone*, *Monte Corno*; varietas *b. Morrone.*

Julio, Augusto. 4

Specimina helvetica differunt ab hac nostra, laciniis calycinis linearibus non lanceolatis. *Legumina* pilis ferrugineis tecta.

ASTRAGALUS *ARISTATUS. Herit.*

A. frutescens, petiolis spinescentibus, foliolis 6-9-jugis oblongo-linearibus mucronatis pilosis, pedunculis brevissimis sub-4-floris, calycinis dentibus longis setaceis. *Will. sp. pl. 3. p. 1328. Pers. syn. 2. p. 341. Dec. pr. s. nat. 2. p. 208. Spr. s. veg. 3. p. 294. Ten. fl. nap. pr. p. 43.*

Ic. *Garid. Aix t. 104*, ex *Dec.*

Tragacantha, seu spina hirci. *Dod. pempt. 751.*

b. canescens, foliis calycibusque incano-pubescentibus.

c. densiflorum stipularum caudis elongatis, floribus approximatis subglomeratis.

In aridis ac glareosis montium Aprutii, et Sa-

mnii; *Roccarasa*, *Piano di cinque miglia*, *Majella*, *Morrone*; varietas *b.* *Monte Costone*; varietas *c.* *Monte Corno.*

Julio, Augusto. ♄

Flores fere semper albi, vix aliquando carnei; *calycini dentes* magis elongati, magisque pilosi quam in speciminibus helveticis. In varietate *c.* *folia* virentia, sed *flores* fere sessiles et undique circa caulem conferti, ut in *A. siculo.*

BISERRULA *PELECINUS. Lin.*

B. foliis impari-pinnatis, foliolis ovatis apice profunde emarginatis, stipulis subvaginantibus, floribus coeruleis. *Lin. sp. pl. 1073. Will. sp. pl. 3. p. 1335. Poir. dict. enc. 6. p. 78. Pers. syn. 2. p. 345. Dec. pr. s. nat. 2. p. 307. Spr. s. veg. 3. p. 309.*

Ic. Astragalus purpureus, annuus, peregrinus, siliquis utrinque serrae similibus. *Moris. hist. 2. s. 2. t. 9. f. 6.*

Lunaria radiata, Robini. *Bauh. hist. 2. p. 384.*

Hedysarum congestum, et utrinque lunatis siliquis. *Barr. ic. 1137.*

b. foliolis vix emarginatis, stipulis vaginantibus, floribus albis.

Ic. *nulla.*

In collibus herbosis Calabriae orientalis, et Japygiae: varietas *b.* cum specie undique prope *Reggio* promiscue crescit.

Martio, Aprili. ⊙

Folia magis canescentia in *a.*, et *flores* coerulei, paullo majores, quam in var. *b.* Interim quamvis habitus diversus, et florum color constans; tamen nullo alio liquido charactere distingui possunt.

MELILOTUS *PALUSTRIS. Dec.*

M. leguminibus racemosis nudis pendulis lacunoso-rugosis 1-2-spermis stylo persistente brevissimo mucronatis, foliolis lineari-oblongis obsolete repando-serratis, stipulis setaceis, caule ramisque erectis (virescentibus). *Dec. pr. s. nat. 2. p. 187. Spr. s. veg. 3. p. 206.*

Trifolium palustre. *Wald.* et *Kit. pl. rar. Hun. 3. p. 295.*

Ic. *Wald.* et *Kit. l. c. t. 266.*

In argillosis humentibus Aprutii in sylvestribus, vel ad sepes; *Caramanico, Roccamorice, S. Valentino:* Samnii, *Isernia al Macerone, Castel di Sangro.*

Augusto, Septembri. ♃

Caules 3-4-pedales, et apud nos prope radicem fistulosi, ceterum farcti. *Legumina* 1-2-sperma in eadem planta saepius observavi. Sub exsiccatione, uti notant laudati auctores *Fl. hung.*, gratum odorem adsumit, praesertim legumina. A *M. officinali* ex icone *Sturmii fl. germ. par. 1. fasc. 15*, et ex speciminibus germanicis certe diversa.

TRIFOLIUM *CAESPITOSUM*. *Reyn.*

T. glaberrimum, caulibus caespitosis brevissimis, foliolis obovatis denticulatis, stipulis lanceolatis acutissimis, capitulis axillaribus longe pedunculatis, floribus subsessilibus post anthesim patentibus, dentibus calycinis subaequalibus corolla multo brevioribus, leguminibus 3-4-spermis. *Will. sp. pl. 3. p. 1359. Pers. syn. 2. p. 349. Poir. dict. enc. 8. p. 4. Savi bot. etr. 4. p. 41. Dec. pr. s. nat. 2. p. 199. Spr. s. veg. 3. p. 208.*

Ic. *bona nulla.*

In asperis alpinis montium Aprutii; *Monte Costone, Majella, Monte Corno.*

Julio, Augusto. 4

Uti recte notat Cl. *Savi l. c.* distinctum a *T. pallescenti*, pedicellis tubo calycis brevioribus, corollis albo-roseis, leguminibus 3-4-spermis, non dispermis.

TRIFOLIUM *REPENS*, *b. alpestre.*

T. glaberrimum, caule repente radicante diffuso, foliolis obcordatis emarginatis (immaculatis), stipulis scariosis angustis lanceolatis, capitulis axillaribus pedunculatis, pedunculis abbreviatis (1 ½ poll.) petiolo subaequalibus, dentibus calycinis brevissimis, floribus demum reflexis, leguminibus tetraspermis.

*

Ic. *nulla.*

In pascuis alpinis Aprutii ad nives deliquescentes, ubi varietas haec vulgo appellatur *Roscia.*

Augusto, Septembri. 2f

Species haec, quae in alpinis pratis Aprutii inter gramina late longeque reptat, utilissima habetur ad jumenta et juvencos saginandos; tamen si oves illam depascunt priusquam pluviae aestivae superveniant, tunc valde noxiam experimur.

TRIFOLIUM *PRAETUTIANUM. Nob.*

T. caulibus caespitosis, culiculis simplicibus adscendentibus calycibus petiolisque molliter denseque pilosis, foliolis ovalibus integris vel obsolete serrulatis, stipulis lanceolatis longe acuminatis, capitulis globosis solitariis stipula bracteante suffultis, dentibus calycinis subaequalibus lineari-setaceis corolla duplo brevioribus, leguminibus 1-spermis. *Savi bot. etr. 4. p. 16,* in notis. *Dec. pr. s. nat. 2. p. 202.* (a quo male *prutetianum* scribitur, et *cortone* pro *Monte Costone*).

Ic. *nostra t. 51.*

In elatioribus montibus Aprutii, in herbosis saxorum rimis humo repletis; *Monte Costone, Monte Corno, Monte Intermesole, Morrone a lava roscia.*

Junio, Augusto. 2f

Planta dense caespitans, humilis. *Radix* crassa,

sublignosa, ramosa, externe nigricans, in saxorum rimis alte descendens. *Caules* basi sublignosi, et foliorum stipulis emarcidis fuscis imbricatis undique tecti; subteretes, solidi, virides: *cauliculi* floriferi annotini, erecti vel adscendentes, teretes, subrubentes, 1-3-foliati, 2-5-pollicares, simplices. *Folia* ex glauco-virentia; *radicalia* numerosa, longe petiolata, petiolis canaliculatis, 1-2 poll. longis; *caulina* duo vel tria, adscendendo brevius petiolata. *Foliola* obtusa vel acuta, dense ad margines pilosa, nervosa, plana, pilis adpressis utrinque pubescentia; in foliis radicalibus elliptica, ut plurimum integerrima, obtusa, 2-5 lin. lata, 6-7 lin. longa; in caulinis lanceolata, vel ovato-lanceolata, acuta, obsolete serrulata, 1-1 ½ lin. lata, 4-5 lin. longa. *Stipulae* membranaceae, nervosae, pilosae, breviter caudatae, albidae. *Capitula* stipulis bracteantibus foliorum superiorum suffulta, multiflora, solitaria, raro gemina, quorum alterum sessile. *Calycis tubus* cylindraceo-conicus, 2 lin. longus, nervosus, saepius vel omnino vel aliqua sui parte rubescens, fauce valde albido-pilosa; *dentes* rubentes, tubo subaequales, recti, in fructu rigidiores semipatentes. *Corollae* apice roseae, basi pallidiores, et fere ex luteo-rubentes; *carina* dente infimo calycis subaequalis. *Legumen* compressum, obtusum, fere obovatum, apice stylo brevi mucronatum, lateraliter apice dehiscens. *Semen* lutescens.

TRIFOLIUM *INTERMEDIUM*. *Guss.*

T. pilosum, caule diffuso, foliolis lanceolato-oblongis, stipulis basi connatis breviter caudatis, spicis villosis conico-oblongis, dentibus calycinis setaceis subaequalibus, corollis vix calycem excedentibus. *Guss. cat. Hort. Reg. Bocc. p. 82. Savi bot. etr. 4. p. 19,* in notis. *Dec. pr. s. nat. 2. p. 190. Spr. s. veg. 3. p. 213.*

Ic. *nulla.*

In collibus aridis, et campis maritimis Calabriae orientalis; *Melito, Pentadattilo, Brancaleone, Siderno, Suverato sotto Satriano:* Japygiae; *Ugento, Gallipoli, Otranto.*

Aprili, Majo. ⊙

TRIFOLIUM *TENUIFOLIUM*. *Ten.*

T. caule ramisque erectis, foliolis inferioribus obcordato-cuneatis, superioribus linearibus apicem versus denticulatis mucronatis, dentibus calycinis setaceis inaequalibus corolla brevioribus, capitulis oblongis solitariis geminisque sessilibus, leguminibus ..... *Ten. fl. nap. pr. p. 44.* et *app. ad cat. H. R. Neap. p. 58,* excluso loco natali. *Dec. pr. s. nat. 2. p. 206.*

Ic. *nulla.*

In arvis arenosis Lucaniae mari finitimis; *Trisaje, Policoro:* Japygiae; *Ugento, Gemini.*

Aprili, Majo. ⊙

Radix gracilis, annua, ramosa. *Caules* plures ex eadem radice, pubescentes, pedales et ultra. *Foliola* exquisite nervosa, apicem versus denticulata, supra glabriuscula, subtus sparse pilosa; in foliis inferioribus 2 lin. lata et longa, saepius emarginata; in superioribus lin. lata, 4-7 lin. longa. *Stipulae* albidae, nervosae, pubescentes, breviter caudatae, caudis lineari-setaceis saepe patentibus. *Capitula* foliis duobus bracteantibus suffulta, 6-12 lin. longa, solitaria vel gemina; et tunc alterum sessile, alterum pedunculatum. *Flores* straminei, sessiles, dense imbricati, nunquam deflexi. *Calyces* hirsuti, nervosi; *dentibus* lineari-lanceolatis aristatis, rigidiusculis, subaequalibus, tubo aequilongis, sed corolla duplo triploque brevioribus. *Corolla* gamopetala; *vexillo* elongato, integro; *alis* linearibus carina subaequalibus. *Legumen* maturum non vidi.

Habitus *T. Bocconi*, cui proximum; sed indicatis characteribus omnino diversum.

TRIFOLIUM *CONGESTUM*. *Guss.*

T. caulibus ramosis glabris humifusis, foliis longe petiolatis, foliolis obcordatis integris pubescentibus, capitulis lateralibus et terminalibus subrotundis sessilibus approximatis, calycibus pilosis, dentibus rectis corollae aequalibus, leguminibus monospermis. *Guss.*

cat. H. Reg. Bocc. p. 80. Savi bot. etr. 4. p. 45, in notis. *Dec. pr. s. nat. 2. p. 198*, et *207. Spr. s. veg. 3. p. 217*, sed male caules fruticosi in descriptione dicuntur.

In arvis argillosis maritimis Calabriae orientalis; *Brancaleone, Melito, Catanzaro presso il fiume Tacina, S. Leonardo, Cotrone:* Lucaniae; *Policoro, Trisaje.*

Aprili, Majo. ⊙

Foliola saepius emarginata, quae in plantis siculis integra.

LOTUS *PUSILLUS. Viv.*

L. diffusus pilisque adpressis undique canescens, caulibus gracilibus ramosis, foliolis stipulis bracteisque obovato-cuneiformibus, pedunculis 1-3-floris folio triplo longioribus, leguminibus teretibus horizontalibus gracilibus rectis apicem versus incurvis, seminibus (viridibus) globoso-oblongis. *Viv. fl. lyb. spec. p. 47. Dec. pr. s. nat. 2. p. 211. Spr. s. veg. 3. p. 280.*

Ic. *Viv. l. c. t. 17. f. 3.*

In arenosis collibus Calabriae; *Reggio ai Nasiti.*

Aprili, Majo. ⊙ !

Caules teretes, leves, plures ex eadem radice, in orbem expansi, ramosissimi et aliquando simplices, palmares vel semipedales. *Foliola* obtusiuscula, crassiuscula, brevissime petiolata, quandoque

obovato-lanceolata, 2 lin. longa, $\frac{1}{2}$ lin. lata. *Petiolus* communis semiteres, vix lin. longus. *Stipulae* petiolo longiores, in nonnullis speciminibus oblique ovatae acutae. *Bracteae* ternatae, foliis conformes; foliolis omnibus vel aequalibus, vel intermedio latiore ac longiore. *Pedunculi* 2-3-flori, 5-7 lin. longi. *Calyces* nervosi; dentibus lineari-lanceolatis, subincurvis, subaequalibus. *Corollae* luteae, parvae; *vexillum* rotundatum, mucronulatum, calyce duplo longius, et subtus venis longitudinalibus pictum; *alae* et *carinae* vexillo subbreviores. *Legumina* linearia, pollicem longa, vix $\frac{1}{2}$ lin. lata, adpresse pubescentia.

Haec nostra differt a planta Cl. *Viviani*, pubescentia adpressa non patente, caulibus raro simplicibus, sed semper ramosis, pedunculis 1-3-floris, floribus minoribus.

MEDICAGO *PROSTRATA*, *b. pubescens.*

M. caulibus prostrato-diffusis basi suffrutescentibus, foliolis linearibus nervosis truncatis basi cuneiformibus, apicem versus margine subdentatis, stipulis subulatis basi dentatis, pedunculis racemosis paucifloris, leguminibus cylindraceis cochleatis inermibus tenuissime reticulatis pubescenti-scabris.

Ic. *nulla.*

In aridis calcareis Aprutii; *Morrone a Campo di Giove, e presso Pacentro.*

Augusto, Septembri. ♃, et basi ♄

Foliola in nostra vix lineam lata, subtus pubescenti-pilosa et exquisite nervosa, margine apicem versus denticulata; sed saepius integra, apice emarginato-truncata, cum mucrone interjecto. *Stipulae* albidae, nervosae, acuminatae, pubescentes; *pedunculi* foliis longiores, 1-6-flori, *pedicellis* 2 lin. longis; *legumina* utrinque plana, non falcata, sed re vera cochleata; anfractibus 1-3. Caules, foliola subtus, petioli, pedunculi et legumina non glaberrima, sed pilis adpressis brevibus pubescentia. Confer iconem speciei in *Jacq. hort. vind. 1. t. 89.* Nulla cum *M. falcata* affinitas.

MEDICAGO *OBSCURA. Retz.*

M. caulibus decumbentibus, foliolis denticulatis inferioribus obovatis superioribus rhombeo-ovatis, stipulis dentato-ciliatis, pedunculis multifloris folio subaequalibus, leguminibus planis inermibus 2-spermis compressis glabris nervosis, anfractibus 1-2 subapproximatis. *Retz. obs. 1. p. 24. Will. sp. pl. 3. p. 1406. Pers. syn. 2. p. 356. Sebast.* et *Maur. fl. rom. pr. p. 259. Ten. fl. nap. pr. p. 44. Dec. pr. s. nat. 2. p. 174. Spr. s. veg. 3. p. 287.*

M. lenticularis. *Desr. dict. enc. 3. p. 630.*

M. levis. *Desf. alt. 2. p. 213. Poir. dict. enc. supp. 3. p. 523. Dec. pr. s. nat. 2. p. 174.*

M. helix. *Will. sp. pl. 3. p. 1409. Spr. s. veg. 3. p. 287.*

M. maritima, trifolia, polycarpos, fructu toroso, non spinoso. *Till. cat. h. Pis. p. 110.*

Ic. *Retz. l. c. t. 1. Till. l. c. t. 42. f. 2.*

b. aculeata, leguminibus margine aculeatis, aculeis setaceis rectis apice aliquando uncinatis.

Ic. *nostra t. 52.*

In pascuis arenosis maritimis per Calabriam orientalem ad Dauniam ambae varietates passim proveniunt.

Aprili, Majo. ⊙

Caules diffusi, ramosi, glabri vel pubescentes, vix striati, pedales et ultra. *Folia* laete virida, supra glaberrima, subtus adpresse villosa, nervosa; *foliolis* a medio ad apicem denticulatis, a medio ad basim ciliatis. *Petioli* semipollicares vel pollicares, supra canaliculati, glabri; juniores, uti pedunculi, patenti-villosi. *Stipulae* semiovatae, acuminatae, ciliatae, basi ciliato-dentatae. *Pedunculi* foliis breviores, vel longiores. *Legumina* utrinque planiuscula, glaberrima, margine tenui inermi in *a.*, aculeato in *b.*, nervosa; nervis marginem versus anastomosantibus. *Semina* ex flavo-virentia, exacte reniformia in utrisque.

Varietas *b.*, si seorsum spectatur, species videtur propria, sed in loco natali passim conspiciuntur nonnulla individua, in quibus legumina sensim ab una ad alteram transeunt; ideoque illas sejungere malui. Praeterea synonyma superius recensita omnia ad hanc speciem pertinere mihi visum est, dissentien-

tibus Cl. viris *Dec. Spr. Link* et *Will.*, nam anfractuum numerus, et distantia characteres variabiles, et proinde parvi momenti sunt pro hisce speciebus discriminandis.

MEDICAGO *MURICOLEPTIS. Tin.*

M. caule ramoso diffuso, foliolis obovato-cuneiformibus obcordatisve apice serrulatis, stipulis ciliato-dentatis, pedunculis subunifloris folio subaequalibus, leguminibus glabris cochleatis utrinque planis compressis, anfractibus 3-4 reticulatis aculeatis, aculeis subimbricatis distichis arcuatis. *Tin. pl. rar. sic. pug. p. 18. Dec. pr. s. nat. 2. p. 179.*

Ic. *nulla.*

In arvis argillosis Calabriae orientalis; *Catanzaro, Cotrone, Cassano*: Lucaniae; *Policoro, Torre a Mare.*

Aprili, Majo. ⊙

Cum *M. disciformi Dec.* conjungit hanc speciem Cl. *Spr.* in *s. veg. 3. p. 291*, sed ab illa differre monet *Dec. l. c.*

CLASSIS XVIII.

DIADELPHIA-POLYANDRIA.

HYPERICUM *RICHERI. Vill.*

H. caule simplici herbaceo terete (basi purpurascente), foliis ovatis obtusis amplexicaulibus margine nigro-punctatis, floribus corymbosis, bracteis calyceque ovato acuto dentato-ciliatis petalisque nigro-maculatis. *Vill. delph. 3. p. 501. Bertol. am. it. p. 397. Will. sp. pl. 3. p. 1445. Pers. syn 2. p. 87.*

H. fimbriatum. *Lam. dict. enc. 4. p. 148. Dec. pr. s. nat. 1. p. 552. Ten. fl. nap. 2. p. 160. Spr. s. veg. 3. p. 348*, exclusis ab hoc synonymis *H. alpini, perfoliati* et *Calabrici.*

Ic. *Vill. l. c. t. 44*, quae a nostra nonnisi foliis acutioribus recedit.

H. alpinum, magno flore, nigris punctis insignito. *Pluckn. phyt. t. 93. f. 6.*

In pascuis alpinis montium Aprutii; *Monte Corno, Monte Costone, Morrone, Majella.*

Julio, Augusto. 2

Descriptio Cl. *Bertol. l. c.* cum nostro adamussim convenit. Equidem *folia* et *petala* obtusa, *calycis foliola* acuta vel acuminata; *cilia* bractearum et calycis pauca, apice fusca et obsolete glandulosa. *Flores* centrales 4-laterales 3-gynos, nunquam vero

5-gynos observavi. *H. perfoliatum* et *H. Calabricum* omnino ab hac specie aliena.

HYPERICUM *HYSSOPIFOLIUM*. *Vill.*

H. caule terete adscendente erectoque, foliis oblongo-linearibus obtusis, superioribus pellucido-punctatis, fasciculorum axillarium anguste-linearibus, calyce obtuso glanduloso-dentato, stylis 3-4, panicula pyramidata caule subaequali. *Vill. delph. 3. p. 505. Will. sp. pl. 3. p. 1470. Lam. dict. enc. 4. p. 170. Pers. syn. 2. p. 91. Dec. pr. s. nat. 1. p. 552. Spr. s. veg. 3. p. 349.*

Ic. *Vill. l. c. t. 44*, sed male hanc nostram refert, quia folia omnia anguste-linearia.

In apricis siccis montium Samnii; *Capracotta a Monte Capraro.*

Julio, Augusto. ♃

Folia in nostris plantis 2-3 lin. lata; illa vero fasciculorum fere filiformia; omnia virentia, et minime glaucescentia, uti de plantis Tauricis asserunt Cl. *Will.* et *Marsch.*; *bracteae* hinc inde glandulis instructae conspiciuntur; *petala* nervosa, calyce triplo longiora, ad margines apicem versus glanduloso-serrulata, vel simpliciter glanduloso-punctata. *Capsulae* ovatae, acuminatae, glaberrimae. *Panicula* elongata, cauli aequalis vel longior.

CLASSIS XIX.

SYNGENESIA-AEQUALIS.

ARNOPOGON *PICRIOIDES*, *b. litorale.*

A. caule foliisque oblongis sinuato-dentatis hispidiusculis, pedunculis aequalibus, calycibus glabris.

Ic. *nulla.*

In maritimis sepibus Calabriae; *Reggio*, *Melito*, *Brancaleone.*

Martio, Aprili. ⊙

SCORZONERA *TRACHYSPERMA. Günth.* ?

S. caule glabro simplici vel basi ramoso, ramis erectis unifloris, foliis integerrimis radicalibus lanceolatis, caulinis linearibus canaliculatis, squamis calycinis glabris acutis, exterioribus duplo brevioribus, seminibus aspero-tuberculatis, pappi setulis interioribus a medio ad apicem simplicibus, basi arachnoideo-plumosis. *Günth.* ex *Spr. s. veg. 3. p. 666.*

Ic. *nostra t. 53.*

b. pubescens; caule foliisque basi arachnoideo-pubescentibus.

c. undulata; caule inferne arachnoideo-pubescente, foliis margine undulatissimis, basi crispis.

In collibus, et campis herbidis maritimis Cala-

briae orientalis; *Capo Brazzano*, *Capo Colonna*, *Cotrone;* var. *c.*, *Cassano*, *Europoli*, *Amendolara.* Aprili, Majo. 4

Folia tenue nervosa; radicalia lanceolata, acutiuscula, 1 ½ - 2 poll. longa, 3-4 lin. lata, rosulata, patentia, in petiolum attenuata, ad margines plana vel crispato-undulata; caulina linearia, margine plana, vix lin. lata, 3-4 poll. longa, basi amplexicaulia. *Pedunculi* elongati, glaberrimi, leves. *Calycis* squamae glaberrimae, margine submembranaceae; exteriores ovato-lanceolatae, apice attenuatae, concavae, subcarinatae, aliquando apice recurvae, 2-3-lin. longae; interiores 9-10 lin. longae, acutae, sed non attenuatae, ad margines sub apice saepius ciliatae. *Semina* striata, ad angulos squamulis muricata, glaberrima, alba, 5-6 longa. *Pappus* candidus, sessilis, calycem vix excedens. *Flores* lutei.

S. serrulata, *Viv. fl. lyb. spec. p. 48. t. 17. f. 4.* differre videtur ab hac; foliorum habitu, florum colore purpureo non luteo, seminibus brevissimis, quae in nostra sunt elongata; tamen Cl. *Spr. l. c.* nequidem uti varietates habet.

SCORZONERA *HIRSUTA*. *Lin.*

S. caule basi subramoso adscendente unifloro foliisque linearibus carinatis hirsuto, seminibus lanatis (albidis, pappo rufo). *Lin. mant. 278. Will. sp. pl. 3. p. 1503*, excluso synonymo *Tournefortii. Pers.*

syn. 2. p. 361. Poir. dict. enc. 7. p. 23. Spr. s. veg. 3. p. 668. Ten. fl. nap. pr. p. 46.

S. eriosperma. *Gou. ill. p. 52;* descriptio optima.

Hieracium capillaceum. *All. pedem. 779.*

Ic. *All. l. c. t. 31. f. 3;* mala.

Tragopogon alter, luteus. *Column. ecphr. 1. t. 233;* sed cum semine in externa parte tabulae notato.

In collibus aridis Calabriae orientalis, Lucaniae, Japygiae, Peucetiae.

Aprili, Majo. 2ℓ

Semina brevia, villis albis dense lanata. *Pappi* setulae exteriores breviores, plumosae; interiores longiores, basi plumosae, apice scabrae.

SCORZONERA *COLUMNAE. Nob.*

S. caule basi subramoso adscendente unifloro foliisque linearibus carinatis hirsuto, seminibus glabris spinulis sursum spectantibus asperis, pappo plumoso (rufescente).

Ic. *nostra t. 54.*

In collibus aridis cum *S. hirsuta* provenit, simulque floret ac fructificat.

Habitus omnino praecedentis, a qua nonnisi seminibus differt; quae in illa lanata et breviora, in hac glabra longiora striata, et spinulis sursum spectantibus aspera. Hinc *S. angustifoliae Wald.* et *Kit. pl. rar. Hung. 2. p. 128. t. 122* proximior, at pappo potissimum distincta; nam in nostra valde plumo-

sus, in *S. angustifolia* vix pilis scaber conspicitur.

Acutissimus noster *Columna* hanc speciem recte a praecedente distinxerat; nam in icone citata utriusque semina depinxit, et equidem ad hanc spectat semen in interna parte tabulae notatum.

Synonymon, S. orientalis, angustifolia, semine longo aspero. *Tourn. cor. 36.* ad *S. hirsutam* male relatum, et inde ad *S. villosam* a Cl. *Marsch.* amandatum, potius ad hanc nostram spectat.

SCORZONERA *TENORII. Presl.*

S. caule erecto ramoso, foliis pinnatifidis laciniis lineari-lanceolatis integerrimis, squamis calycinis glabriusculis apice interne pennicillato-tomentosis. *Presl. del. Pr. p. 116. Ten. fl. nap. pr. sup. 4. p. 11.*

Ic. *nostra t. 55. f. 1.*

In collibus, et campis argillosis Calabriae; *Roccella, Cotrone, S. Leonardo di Cutro.*

Aprili, Majo. ♀ vel ♂

Habitus et affinitas potius cum sequente, quam cum *S. resedifolia* (*Sonchus chondrilloides Desf.*), quae longe alia species. Differt equidem a *S. octangulari*, squamis calycinis muticis apice interne penicillato-tomentosis, floribus duplo majoribus, calycibus cylindricis non angulatis. A *S. calcitrapifolia* certe distincta, uti inferius patebit, secus ac opinatur Cl. *Spr.* in *s. veg. 3. p. 668.* Interim folia fere semper pinnatifida vidi, non vero lyrato-pinnatifida, uti ex *Preslio.*

SCORZONERA *OCTANGULARIS*. *Will.*

S. caule erecto stricto, foliis inferioribus decursive-pinnatifidis, laciniis lanceolatis, superiorum lineari-lanceolatis, calycis glabri inaperti octangularis squamis sub apice mucronatis. *Will. sp. pl. 3. p. 1506*, excluso synonymo *Gou. Pers. syn. 2. p. 362. Poir. dict. enc. 7. p. 17. Spr. s. veg. 3. p. 668.*

Ic. *nostra t. 55. f. 2.*

In collibus, et campis argillosis Calabriae orientalis; *Cotrone*, *Amendolara*, *Cassano:* Lucaniae; *Policoro:* Japygiae; *Brindisi.*

Aprili, Majo. ♂

S. laciniatae valde affinis, uti recte notat Cl. *Will. l. c;* sed *habitus* in innumeris plantis loco natali inspectis semper alienus; *calyces* ante anthesim octangulares, praeterea glabri et raro canescentes; foliorum radicalium *laciniae* latiores, et *caules* quam in illa robustiores, aliquando pedales et ultra.

SCORZONERA *CALCITRAPIFOLIA*, *b. decumbens.*

S. undique glaberrima, caule ramoso ramis decumbentibus adscendentibusve, foliis lyrato-pinnatifidis, laciniis lateralibus oblongis subrotundisque, terminali subrotunda vel lanceolata elongata apice recurvata, calycinis squamis muticis.

Ic. Tragopogon Resedae minoris folio, supinum, *Barr. ic. 800*, optima quoad habitum, sed foliorum laciniae nimis angustae.

*

S. pratensis, foliis laciniatis glabris. *Buxb. cent. 2. t. 32?*

In collibus, et campis argillosis maritimis Calabriae orientalis; *Melito, Cassano, Cotrone, Amendolara*: Japygiae; *Brindisi.*

Aprili, Majo. ♂

Caules striati, semper uti calyces glaberrimi; ramis decumbentibus, apice adscendentibus. *Folia* primordialia radicalia vere lyrato-pinnatifida; laciniis omnibus subrotundis vel oblongis, obtusis, integris, vel latere exteriore obiter crenatis; terminali duplo vel triplo reliquis majore, ut in icone *Buxbaumii* bene repraesentatur, quo charactere ab affinibus *S. Tenorii, octangulari*, et *laciniata* facillime distinguitur: in reliquis laciniae laterales oblongo-lineares; terminalis lanceolata, duplo ceteris longior, apice recurva; ita ut folia *Resedae fruticulosae* aemulentur; folia caulina breviora, angustiora; suprema tandem simplicia. *Calyces* glaberrimi; squamis exterioribus adpressis, demum patulis, brevissimis; intimis elongatis, margine membranaceis, duplo squamas intermedias acutas superantibus.

Differt haec nostra a descriptione *Vahlii, Willdenovii, Sprengelii* et *Retzii* (qui sub nomine *S. resedifoliae* hanc describit); caule non erecto, sed ramis adscendentibus; foliorum inferiorum laciniis non mucronatis, sed obtusis vel tantum acutis; nec omnibus conformibus, sed difformibus: calycibus glabris, squamis muticis, non sub apice mucronatis. Prae-

terea etiam *S. resedifolia Gou.*, quae a *Dec.* in *Fl. fr. sup. p. 455*, ad *S. calcitrapifoliam* refertur a nostra recedit; quia in illa caulis diffusus, lanatus, folia inferiora hastato-pinnatifida, et calyces tomentosi. An ideo species ab omnibus aliis distincta, vel apud auctores citatos haud bene descripta?

PICRIS *ACULEATA. Vahl.*

P. caule erecto strigoso-aculeato superne nudo, foliis obovato-oblongis inaequaliter dentatis verrucoso-aculeatis, floribus corymbosis, pedunculo incrassato, calyce hispido, foliolis exterioribus laxis. *Vahl. symb. 3. p. 89*, excluso synonymo *Tournefortii. Will. sp. pl. 3. p. 1557. Poir. dict. enc. 5. p. 311. Pers. syn. 2. p. 370. Spr. s. veg. 3. p. 664. Ten. fl. nap. pr. p. 46.*

Ic. *nulla.*

In aridissimis collibus calcareis maritimis Calabriae orientalis; *Trebisacce, Amendolara, Cariati:* Japygiae; *Gallipoli.*

Majo, Junio. 4

HIERACIUM *PRUNELLAEFOLIUM. Gou.*

H. caule paucifloro basi flexuoso ramoso (humili), ramis adscendentibus, foliis radicalibus ovatis denticulatis, caulinis lyratis, lobo terminali ceteris quadruplo majore ovato denticulato, lateralibus basim versus

decrescentibus distantibus, pedunculis superne calycibusque tomentosis. *Gou. ill. p. 57*, exclusis synonymis praeter illa *Hall. Bocc.* et *Lin.*, ex *Vill. delph. 3. p. 122. Will. sp. pl. 3. p. 1574. Pers. syn. 2. p. 372. Spr. s. veg. 3. p. 640.*

H. pumilum. *Lin. mant. 107. Lam. dict. enc. 2. p. 364.*

Crepis pigmaea. *Lin. sp. pl. 1131.*

Ic. *Gou. l. c. t. 22. f. 3. All. ped. t. 15. f. 2*, mediocris.

H. alpinum, incanum, saxatile, Prunellae foliis integris. *Bocc. mus. t. 24.*

In alpinis glareosis Aprutii; *Monte Costone*, *Monte Intermesole*, *Monte Corno*, *Majella.*

Julio, Augusto. 4

Radix hinc inde inter saxula libera repens, nigricans. *Caules* vix palmares, basi albidi, flexuosi, glaberrimi. *Folia* glabriuscula, vel incano-tomentosa; lobi laterales saepe triangulares brevissimi, et tunc folia dici possunt integra, petiolis dentatis, ut a plurimis auctoribus habentur.

HIERACIUM *ANDRYALOIDES. Vill.*

H. caule erecto vel patente-ramoso paucifloro foliisque plumoso-pilosis, inferioribus petiolatis oblongo-lanceolatis acutis basi sinuato-dentatis, superioribus (paucis) angustis integerrimis. *Vill. delph. 3. p. 121. Pers. syn. 2. p. 374. Lam. dict. enc. 2.*

p. 364. Dec. fl. fr. 4. p. 22. Spr. s. veg. 3. p. 642.

Ic. *Vill. l. c. t. 29.*

In rupibus aridis meridionalibus montium Samnii; *Capracotta, Monte Capraro:* Aprutii; *Majella, Morrone, Monte Costone, Monte S. Franco.*

Julio, Augusto. 4

Pili papporum scabri; *receptaculum* nudum. Ab *Andryala lanata* (*Hieracium lanatum Dec., H. verbascifolium Pers.*) cui maxime affine differt, foliis basi semper crispatis et dentatis, non integerrimis. *H. Liottardi Vill. l. c.*, nonnisi hujus speciei varietas ex *Dec. l. c.*

HIERACIUM *PRAENANTHOIDES. Vill.*

H. caule erecto simplici foliisque villosis, radicalibus oblongo-lanceolatis petiolatis obiter denticulatis, caulinis cordato-oblongis amplexicaulibus, floribus corymbosis, pedunculis calycibusque piloso-glandulosis. *Vill. delph. 3. p. 108. Will. sp. pl. 3. p. 1590. Pers. syn. 2. p. 374. Lam. dict. enc. 2. p. 367*, excluso synonymo *Jacquini. Spr. s. veg. 3. p. 644.*

Ic. H. spicatum. *All. ped. t. 27. f. 1-3;* quae posterior plantam nostram exacte repraesentat.

b. caule foliisque glabris margine tantum ciliatis, calycibus puberulis.

In sylvaticis montosis Samnii; *Monte di Mezzo, Monte Capraro*: Aprutii; *Chiarino, Majella, Morrone*: varietas *b.*, *Majella a Grotta Capraja.*

Julio, Augusto. 4

CREPIS *FOETIDA*. *Lin.*

C. caule a basi ramoso, ramis adscendentibus, foliis runcinato-pinnatifidis hirtis scabris, summis ovato-lanceolatis basi profunde incisis, pedunculis superne calycibusque canescentibus pilis simplicibus hirtis. *Lin. sp. pl. 1133. Will. sp. pl. 3. p. 1598.* (excluso synonymo *Chondrilla purpurascens foetida. Bauh. prodr. t. 68.*) *Pers. syn. 2. p. 376. Lam. dict. enc. 2. p. 180. Smith. brit. 2. p. 837. Ten. fl. nap. 2. p. 176.*

Ic. *Engl. bot. t. 406.*

Hieracium luteum, Cichorii sylvestris folio, Amygdalas amaras olens. *Moris. hist. 3. p. 63. s. 7. t. 4. f. 4.*

H. foliis Cichorii sylvestris villosis, odore castorei. *Magn. monsp. 129. t. 128.*

In collibus, et campis asperis calcareis Aprutii. Junio, Julio. ⊙, ♂

Caulis semipedalis, inferne pilis brevibus sparsis subhispidus, ab ipsa basi ramosus. *Foliorum radicalium* lacinia extima triangularis, brevis. *Pedicelli* ac *calyces* non solum canescentes, sed et pilis simplicibus, minime glandulosis, hirti.

CREPIS *GLANDULOSA. Nob.*

C. caule basi simplicissimo erecto stricto, foliis runcinatis hirtis scabris, superioribus sessilibus lanceolatis sagittatis basi dentatis, pedunculis floriferis corymbosis calycibusque pilis glanduliferis (rufescentibus) hirtis. *Ind. sem. H. Reg. in Bocc. an. 1825.*

Ic. *nostra t. 56.*

Hieracium Cichorii foliis, Amygdali amari odore. *Cupan. panph. sic. 1. t. 154. Bon. t. 119* (a *Bertol.* in *lucubr. p. 25. n.° 143* sub *C. foetida* relata).

Majo, Junio. ⊙

Caules simplices, angulato-striati, pedales et sesquipedales, basi rubentes, et pilis sive setulis longis patentibus hispidi. *Folia* piloso-hispida: radicalia et caulina inferiora re vera lyrata; lobo terminali ovato vel late lanceolato, acuto, denticulato; laterales triangulares, patentes, acuti, integri vel obiter denticulati: caulina superiora fere lanceolata, basi sagittata, dentato-sinuata, apicem versus integra, dentibus basim versus profundioribus longioribusque. *Pedunculi* nudi, vel squama una aut altera lineari instructi, uniflori, sub anthesi elongati (2-3-pollicares), apice vix incrassati. *Flores* lutei, ante anthesim cernui. *Calycis* foliola exteriora anguste linearia, acuta, non scariosa, adpressa, demum subpatentia; interiora duplo triploque longiora, lanceolata, acuta, sub an-

thesi plana, in fructu carinata incrassata et semina marginalia amplectentia. *Semina* scabra; *pappo* marginalium sessili, centralium stipitato, calycem excedente.

Affinis praecedenti odore nauseoso totius plantae, et floribus; sed habitu, caule simplici elatiore hirsutiore, foliis non pinnatifido-lyratis, sed re vera runcinatis, calyce non canescente, et pilis glanduliferis distincta.

ROBERTIA *TARAXACOIDES*. *Dec.*

R. glabra, foliis radicalibus runcinato-pinnatifidis, scapo nudiusculo unifloro adscendente. *Dec. fl. fr. supp. p. 453. Poir. dict. enc. supp. 4. p. 689. Spr. s. veg. 3. p. 661.*

Seriola taraxacoides. *Lois. fl. gall. p. 530. Ten. fl. nap. 2. p. 182.*

S. uniflora. *Biv. cent. 2. p. 55. Poir. dict. enc. supp. 5. p. 778.*

Ic. *Lois. l. c. t. 18.*

Hieracium aetnense, minimum, dentis Leonis foliis obtusis. *Cupan. panph. sic. 2. t. 190.*

b. foliis scapisque basi ciliato-hispidis.

In calcareis montosis Samnii et Aprutii: varietas *b.*; *monte S. Franco presso Aquila.*

Julio, Augusto. 4

S. uniflora Biv., et *S. taraxacoides Lois.* male uti diversae species enumerantur a *Poir. l. c.*, et a *Steudel* in *nomen. botan. p. 767.*

SERIOLA *CRETENSIS*, *b. glabrata.*

S. caule ramoso subfolioso, foliis radicalibus pinnatifido-runcinatis glabriusculis, caulinis linearilanceolatis, pedunculis elongatis, floribus subcorymbosis, calycibus arachnoideo-canescentibus hinc inde setosis, pappis plumosis, in disco stipitatis in radio sessilibus.

Ic. *nulla.*

In arenosis maritimis Calabriae orientalis; *Melito*, *Brancaleone*, *Stalatti*, *Cotrone*, *Cariati*, *Corigliano.*

Aprili, Majo. 2

Differt a *S. cretensi* sicula, et ab hujus plantae icone, quam dedit Cl. *Biv.* in *man. 4. t. 4.*, foliis magis pinnatifidis, calycibus junioribus arachnoideo-canescentibus demum glabratis, squamis ad carinam hinc inde setulosis, non undique hirtis. An haec vera *S. cretensis. Lin.*?

CATANANCHE *LUTEA. Lin.*

C. foliis villosis lanceolatis integris dentatisque trinerviis, squamis calycinis exterioribus ovatis interioribus lanceolatis duplo longioribus. *Lin. sp. pl. 1142. Will. sp. pl. 3. p. 1627. Pers. syn. 2. p. 379. Lam. dict. enc. 2. p. 226. Desf. atl. 2. p. 339*, descriptio optima. *Spr. s. veg. 3. p. 671. Ten. fl. nap. 2. p. 186.*

*

Ic. *Lam. ill. gen. t. 658. f. 2. Gäert. de fruct. 2. p. 356. t. 157. f. 5!*

Chondrylla cyanoides lutea, Coronopifolio non diviso. *Barr. ic. 1135. Bocc. mus. t. 7*, et *t. 66*, sub errato nomine *Alyssum incanum* ec.

In collibus, et campis argillosis Calabriae orientalis, Lucaniae, Japygiae, Peucetiae.

Aprili, Majo. ☉

Squamae calycis inferiores ovatae breviores, non lanceolatae, uti ex diagnosi Linnaeana, et inde ex illa omnium recentiorum. *Folia* non glabra, qualia petit *Spr. l. c.*, sed ciliata et brevibus villis conspersa, uti *Desf.* illa describit. *Seminum* paleae nonnunquam sex, saepius quinque. *Caulis* vel subramosus, vel *scapi* nudi uniflori; praeterea *flores* plurimi sessiles aggregati ad radicis collum, tenuiores quam reliqui.

CICHORIUM *DIVARICATUM*. *Schous.*

C. caulo glabro, ramis divaricatis, foliis inferioribus runcinatis caulinis oblongis dentatis, pedunculis geminis axillaribus incrassatis altero unifloro elongato abortiente, altero brevissimo subtrifloro. *Schous. marocc. p. 197*, ex *Will. sp. pl. 3. p. 1629. Poir. dict. enc. supp. 2. p. 229. Pers. syn. 2. p. 379. Spr. s. veg. 3. p. 671.*

Ic. *nulla.*

In arvis argillosis Calabriae orientalis; *Melito*, *Brancaleone.*

Majo, Junio. ♂

SCOLYMUS *GRANDIFLORUS. Desf.*

S. floribus solitariis sessilibus, foliis decurrentibus, caule subsimplici villoso erecto, radice perenni. *Desf. atl. 2. p. 240. Will. sp. pl. 3. p. 1631. Pers. syn. 2. p. 380. Poir. dict. enc. 7. p. 11. Spr. s. veg. 3. p. 672. Ten. fl. nap. 2. p. 188.*

Ic. *Desf. l. c. t. 218.*

In arvis argillosis Calabriae orientalis; *S. Leonardo, Cotrone, Cirò, Cassano.*

Majo, Junio. ♃

CARLINA *SICULA. Ten.*

C. caule basi simplici apice ramoso, ramis irregularibus, foliis pinnatifidis, laciniis dentato-spinosis superne glabris subtus floccoso-villosis, floribus terminalibus subcorymbosis breviter pedicellatis involucratis (radio albo). *Ten. cat. Hort. Reg. neap. app. alt. p. 74. Spr. s. veg. 3. p. 378.*

C. bracteata. *Presl del. Prag. p. 105.*

Ic. *nulla.*

In aridissimis collibus Japygiae; *Nardò, Gallipoli, Ugento, Lecce.*

Junio, Julio. ♃

Folia C. corymbosae, flores fere *C. vulgaris*, sed in apice ramorum aggregati; at nulla cum *C. la-*

nata affinitas, nec caulis lanatus, uti ait *Presl, l. c.*

CARDUUS *AFFINIS. Nob.*

C. foliis subtus tomentosis oblongo-lanceolatis decurrentibus pinnatifido-lobatis, laciniis lobisque dentatis ciliato-spinosis, spinis terminalibus validis, pedunculis unifloris elongatis, calycibus ovatis glabriusculis, squamis exterioribus linearibus subulatis subpatulis, interioribus longioribus (coloratis) lanceolatis inermibus.

Ic. *nostra t. 57.*

In apricis, vel sylvaticis montosis Samnii; *Capracotta, Monte Capraro:* Aprutii; *Majella alla Majelletta, Morrone.*

Julio, Septembri. ♃

Caules plures ex eadem radice, 2-3-pedales, erecti, stricti, alterne ramosi, virescentes, pilis arachnoideis hinc inde conspersi. *Rami* elongati, erecti, subsimplices, in pedunculum terminati. *Folia* supra intense virentia, subtus albida dense tomentosa: radicalia inaequaliter pinnatifido-lobata, petiolata, 2-3 poll. longa, pollicem et ultra lata: caulina pinnatifida, sessilia, basi ala plana spinosa dentata per caulem decurrentia: ramea lanceolata, inaequaliter et profunde dentato-spinosa. *Pedunculi* elongati, subcorymbosi, aphylli, teretes, uniflori, albo-tomentosi. *Flores* purpurei, erecti. *Calyces* ovati, virentes, 7-8 lin. longi, 5-6-lin. lati, pilis raris arachnoi-

deis pubescentes; maturo fructu cernui et decidui: squamae calycinae exteriores carinatae, apice vix patulae, subulatae, spinula subinermi flavescente terminatae; intimae latiores, longiores, acutae, inermes, apice plerumque purpureae. *Semina* oblonga, nitida, albida. *Pappus* sessilis, pilosus, pilis sub lente scabris. *Receptaculum* pilosum.

Calyces et pedunculi ut in *C. candicante, Wald.* et *Kit. pl. rar. Hun. t. 83;* sed ob folia *C. collino, eorumd. t. 232* proximior: tamen ab hoc diversus, caulibus pluribus, non unico ex eadem radice, spinis laciniae terminantibus elongatis, pedunculis non crispatis, et squamis calycinis exterioribus minime recurvato-patentibus. A *C. cinereo, Marsch. fl. taur. cauc. 2. p. 270* (cui videtur proximus quoad descriptionem) distinguitur, foliis subtus tomentosis, squamis calycinis basi non dilatatis, intimis integerrimis non serrulatis, radice perenni, et loco natali.

CNICUS *ACAULIS. Will.*

C. foliis utrinque viridibus pinnatifidis, laciniis divaricatis spinoso-ciliatis, scapo brevissimo unifloro, calycinis squamis lanceolatis adpressis inermibus. *Will. sp. pl. 3. p. 1681*, an excluso synonymo *Dod.? Pers. syn. 2. p. 389.*

Carduus acaulis. *Lin. sp. pl. 1156. Lam. dict. enc. 3. p. 706.*

Cirsium acaule. *Spr. s. veg. 3. p. 375.*

Ic. *Jacq. ic. rar. 3. t. 579. Sturm. fl. germ. p. 1. fasc. 24.*

Carlina minor, flore purpureo. *Clus. hist. 2. p. 156.*

C. montana, minor, acaulis. *Barr. ic. 493.*

In pratis apricis montium Samnii; *Monte di Mezzo:* Aprutii; *Palena al Vado di Coccia, Majella.*

Julio, Augusto. ♃

In pratis fertilibus et humentibus scapi aliquando elongantur, et duos vel tres flores gerunt.

CNICUS *SYRIACUS. Will.*

C. foliis sessilibus amplexicaulibus oblongis albovenosis utrinque glabriusculis lobato-pinnatifidis, laciniis dentato-spinosis, floribus approximatis subsessilibus involucratis, involucris elongatis rigidis spinosis, squamis calycinis ovato-lanceolatis mucronatis apice patulis. *Will. sp. pl. 3. p. 1683. Pers. syn. 2. p. 389. Sebast.* et *Maur. fl. rom. pr. p. 283.*

Carduus syriacus. *Lin. sp. pl. 1153. Lam. dict. enc. 1. p. 702. Desf. atl. 2. p. 245.*

Cirsium syriacum. *Spr. s. veg. 3. p. 377. Gäert. de fruct. vol. 2. p. 383.*

Ic. *Sebast.* et *Maur. l. c. t. 8. Gäert. l. c. t. 163. f. 4.*

Carduus lacteus, syriacus. *Cam. hort. t. 10,*

bona quoad habitum, et foliorum figuram. *Moris. sect. 8. t. 30. f. 5.*

Carduus radiis purpureus, capitulis ferocissimis spinis circumdatis. *Cupan. panph. sic. 3. t. 145.*

In arvis argillosis, et inter segetes Calabriae orientalis; *Catanzaro*, *Cotrone*, *Cassano*: Japygiae; *Maruggi*, *Nardò*, *Racale*, *Castro*: Peucetiae; *Monopoli.*

Majo, Junio. ☉

Solam varietatem floribus purpureis in locis indicatis vidi.

CNICUS *GIGANTEUS. Will.*

C. caule alto firmo lanato, foliis caulinis cordatis amplexicaulibus oblongis supra strigoso-hispidis subtus albo-lanato-tomentosis sinuato-lobatis, lobis spina valida terminatis; floribus subsessilibus aggregatis, calycis lanati squamis arachnoideis apice spinosis patulis. *Will. sp. pl. 3. p. 1671.*

Carduus gigas. *Ucria pl. ad linn. opus add. n.° 27. Tin. pug. pl. rar. Sic. p. 22.*

C. scaber. *Poir. it. 2. p. 201.*

C. giganteus. *Desf. atl. 2. p. 245. Pers. syn. 2. p. 388.*

Cirsium giganteum. *Spr. s. veg. 3. p. 375.*

Ic. *Desf. l. c. t. 221.*

Carduus gigas, acanthoides, tomentosus, picnopolysphaerocephalos. *Cup. panph. sic. 2. t. 338.*

Ad sepes subhumidas in Calabria orientali; *lo Bianco nuovo, Capo Rizzuto.*

Julio, Junio. ♂

BIDENS *CERNUA. Lin.*

B. floribus subradiatis cernuis, calyce exteriore interiorem superante, foliis lanceolatis subconnatis remote serratis glabris. *Lin. sp. pl. 1165. Will. sp. pl. 3. p. 1716. Lam. dict. enc. 1. p. 414. Pers. syn. 2. p. 393. Spr. s. veg. 3. p. 452.*

Ic. Cannabina aquatica, sive Eupatorium mas. *Lob. ic. 1. t. 528. f. 2.*

In udis, et inundatis Aprutii; *sponde del lago Fucino presso Avezzano, e S. Benedetto.*

Septembri, Octobri. ⊙

Variat apud nos floribus cernuis vel erectis, discoideis aut radiatis, caule palmari et sesquipedali.

SANTOLINA *ALPINA. Lin.*

S. pedunculis unifloris, foliis pinnatis incanis, caulibus simplicibus, seminibus glabris. *Lin. sp. pl. 1180. Will. sp. pl. 3. p. 1800*, excluso synonymo *Barrelieri.*

S. erecta. *Lin. syst. veg. ed. R. p. 730. Pers. syn. 2. p. 407. Poir. dict. enc. 4. p. 508*, excluso pariter synonymo *Barrelieri.*

Ic. *nostra t. 58.*

Lam. ill. gen. t. 671. f. 4, mediocris.

Santolinoides alpina, saxatilis, foliis glaucis et veluti argenteis, floribus luteis. *Mich. gen. 31. t. 27*, bona.

In montibus Aprutii in glareosis; *Morrone nel vallone di Mala cupa*, ad meridiem Sulmonam versus, ubi jam invenerat *Michelius*.

Julio, Augusto. 2

Radix perennis, fibrosa, nigricans. *Caules* basi caespitosi, suffruticosi, subradicantes, adscendentes; cauliculi vero annotini erecti, simplicissimi, in pedunculis terminati. *Folia* sericeo-incana, raro bipinnata, sepius pinnata vel pinnatifida; laciniis linearibus, integris, planis, obtusis, lin. latis, 2-3 lin. longis; suprema aliquando linearia, integra. *Pedunculi* nudi, elongati, pubescentes. *Flores* lutei, omnes hermaphroditi. *Calyx* hemisphaericus; foliolis lanceolatis, acutiusculis, subcarinatis, pubescentibus, margine nonnihil scariosis. *Semina* glabra! *Receptaculi* paleae flosculis breviores, scariosae, glabrae, concavae, integrae vel tridentatae, mucronatae.

Pyrethrum alterum minus, caespitosa radice, Anthemidis flore italicum, *Barr. ic. 522*, a *Lin.* et inde a recentioribus ad hanc speciem relatum, optime a Cl. *Bertolonio* in *am. ital. p. 46*, ad suam *Anthemidem mucronulatam* (quae etiam in *Morrone* provenit) amandatur, ad quam procul dubio spectat; nam etsi flores in icone discoidei, tamen *Barrelier* illos emarcidos se vidisse fatetur. Praeter-

*

ea Cl. *Spr.* in suo *s. veg. 3. p. 456*, sub *Lasiospermo pedunculari Lag.* (*Santolina eriosperma Pers.*) *S. alpinam*, *S. pinnatam*, et *Cotulam abrotanifoliam Will.* refert. At seminum characteres cum *Lasiospermo* minime conveniunt, et inde a *S. eriosperma* certe distincta. Quid de reliquis synonymis sit dicendum mihi non constat, cum nec illarum plantarum icones, nec exsiccata specimina adhuc viderim.

POLYGAMIA–SUPERFLUA.

ARTEMISIA *CAMPHORATA*, *b. canescens. Pollin.*

A. caule suffruticoso erecto, foliis calycibusque incano-canescentibus, inferioribus bipinnatis foliolis filiformibus brevibus, summis simplicissimis, racemis paniculatis, floribus pedunculatis globosis nutantibus. *Poll. fl. ver. 2. p. 642.*

A. alba. *Turra fl. ital. prodr. p. 67*, ex *Poll. l. c.*

Ic. Abrotanum mas, incanum. *Column. ecphr. 1. t. 54.*

In collibus calcareis elatioribus, et ad radices montium Aprutii; *Colli dopo Tagliacozzo*, *Monte Salviano presso Avezzano*, *Tagliacozzo*, *Montorio sopra Teramo*: et una cum varietate virenti prope *Palena* invenitur.

Augusto, Septembri. ♄

Foliola in hac varietate saepius tenuiora, una

cum caule graciliora; *flores* magis conferti; *calycis squamae* intimae latiores, margine scariosae; *receptaculum* villosum.

ARTEMISIA *COERULESCENS*. *Lin.*

A. foliis incanis pinnatifido-incisis, caulinis superioribus lanceolatis integerrimis, floribus racemoso-spicatis oblongis erectis. *Lin. sp. pl. 1189. Will. sp. pl. 3. p. 1847. Pers. syn. 2. p. 413. Lam. dict. enc. 1. p. 268. Spr. s. veg. 3. p. 487. Ten. fl. nap. pr. supp. 4. p. 12.*

Ic. Absynthium angustifolium. *Dod. pempt. 26.*

Abrotanum latifolium rarius, artemisiaefolio. *Column. ecphr. 2. p. 75. t. 76.*

b. virescens, foliis fere omnibus subintegris virentibus.

In argillosis maritimis hyeme inundatis, Aprutii; *Pescara*, *Francavilla*: varietas *b.* in Peucetia; *Brindisi.*

Septembri, Octobri. ♄

XERANTHEMUM *CYLINDRACEUM*. *Sibth.*

X. foliis lanceolato-linearibus tomentosis, pedunculis elongatis unifloris, squamis calycinis exterioribus obtusissimis muticis margine scariosis dorso tomentosis, interioribus conniventibus lanceolatis (non radiantibus), pappo 8-10-aristato, aristis linearibus

semine subaequalibus. *Sibth.* ex *Smith. pr. fl. gr. 2. p. 172*, excluso synonymo *Morisonii. Spr. s. veg. 3. p. 485*, excluso synonymo *Marschalii.*

Ic. *nulla.*

In collibus aridis Samnii; *Monte di Mezzo:* Aprutii; *Caramanico, Roccamorice, Popoli.*

Junio, Julio. ⊙

Sequenti satis proximum; sed caule elatiore, magis ramoso, ramis quandoque divaricatis et recurvatis, calycibus revera cylindricis tenuioribusque, ipsius squamis dorso tomentosis, et aristis basi non dilatatis certe distinctum. A *X. inaperto* auctorum, squamis calycinis exterioribus rotundatis obtusissimis muticis, et non acuminatis discrepat. Foliorum latitudo, directio, et pubescentia variabiles sunt.

XERANTHEMUM *ERECTUM. Presl.*

X. foliis lanceolato-linearibus tomentosis, pedunculis elongatis unifloris, squamis calycinis exterioribus undique glabris (dorso coloratis) subrotundis mucronatis scariosis, interioribus conniventibus lanceolatis (non radiantibus), pappo 5-aristato, aristis basi dilatatis semine brevioribus. *Presl. del. Prag. p. 106.*

Ic. X. oleaefolio, capitulis simplicibus, incanum, foetens, flore purpurascente minore. *Moris. hist. 3. p. 43. s. 6. t. 12. f. 1.*

Stoebe incana altera, Cyani aut Jaceae capitulis. *Lob. ic. 544 ?*

Xeranthemum. *Bauh. hist. 3. p. 1. pag. 25* (ex descriptione).

In collibus aridis Samnii; *Monte di Mezzo.*

Junio, Julio. ⊙

Synonymon *Morisonii* ab auctoribus nunc ad *X. inapertum* (*Lam. Will.*), nunc ad *X. annuum* (*Sebast.* et *Maur.*), et denique a *Sibth.*, dubitante tamen Cl. *Smithio l. c.*, ad *X. cylindraceum* relatum, ex *Morisonii* descriptione potius cum *X. erecto* (in quo calyces glabri non radiantes et squamae linea rubente notatae) quam cum illis convenit. Icon *Barrelieri* a *Lam. X. annuo* addicta, tam similis est nonnullis exemplaribus *X. erecti* in herbario asservatis, ut ex ipsis deprompta videatur. Tandem species *Bauhini* et *Lobelii*, quamvis satis rudes, tamen ex descriptione *Bauhini*, quae cum illa *Morisonii* omnino concordat, potius ad *X. erectum*, quam ad *X. inapertum*, uti putat Cl. *Lam.*, spectare mihi visum est.

GNAPHALIUM *ULIGINOSUM*. *Lin.*

G. foliis linearibus obtusiusculis sessilibus utrinque cauleque diffuso albo-lanatis, floribus axillaribus terminalibusque glomeratis, squamis calycinis acutiusculis. *Lin. sp. pl. 1200. Will. sp. pl. 3. p. 1891. Pers. syn. 2. p. 421. Smith. brit. 2. p. 872. Lam. dict. enc. 2. p. 759. Spr. s. veg. 3. p. 481*, an cum synonymo *Will?*

Ic. *Fl. dan. 859.*

Filago minor. *Dod. pempt. 66. Lobel. ic. 481*, malae.

In planitiebus montosis hyeme inundatis Aprutii; *Piano di cinquemiglia, Campi palentini presso Capistrello.*

Junio, Julio. ⊙

Caules apud nos semper diffusos in campis aridis, et erectos in humentibus vidi, ut in icone *Fl. dan.* exhibentur. *Flores* axillares saepe solitarii.

FILAGO *ERIOCEPHALA. Nob.*

F. caule erecto basi ramoso apice dichotomo capitulis foliisque lineari-lanceolatis acutis dense tomentoso-lanatis, capitulis multifloris in dichotomia et ramorum apicibus, calycibus cylindricis, squamis acutis rectis parallelis.

Ic. *nostra t. 59.*

In collibus aridis maritimis Lucaniae; *Policoro* una cum *F. germanica*, ac *F. pyramidata.*

Majo, Junio. ⊙

Habitus omnino *F. germanicae;* a qua differt *foliis* magis acuminatis, *caule* foliis capitulisque dense tomentoso-lanatis, et saepius omnino incanis: *capitulis* ovato-oblongis; denique *squamis calycinis* non acutis et aristatis ut in illa, sed simpliciter acutis, quo charactere statim ab illa distinguitur; hinc diagnosis *F. germanicae* haec erit, ut etiam a *F. pyramidata* facile dignoscatur:

F. caule erecto basi ramoso apice dichotomo foliisque lineari-lanceolatis acutis subtomentoso-lanatis (cinereis), capitulis multifloris globosis basi lanatis in dichotomia et ramorum apicibus, calycibus subcylindricis, squamis acuminato-aristatis rectis parallelis.

Interim icon *F. germanicae* apud *Sturm. fl. germ. p. 1. fasc. 12*, ab illa quae apud nos provenit, recedit; habitu, foliis virentibus, capitulis fere glabris, sed squamae optime pictae, quae aliunde male expressae in icone *Gaert. de fruct. 2. t. 166.*

MICROPUS *ERECTUS. Lin.*

M. caule erecto vel decumbente ramoso foliisque alternis amplexicaulibus oblongo-lanceolatis obtusiusculis lanatis, floribus glomeratis axillaribus terminalibusque denso tomento involutis. *Lin. sp. pl. 1313. Will. sp. pl. 4. p. 2388. Pers. syn. 2. p. 423. Lam. dict. enc. 4. p. 142. Spr. s. veg. 3. p. 499. Ten. fl. nap. pr. supp. 4. p. 12.*

Ic. *Lam. ill. gen. t. 694. f. 2*, mala quoad habitum et folia.

Gnaphalium *plateau* 111. *Clus. hist. 1. p. 329*, bona quoad habitum.

G. unico cauliculo. *Bauh. hist. 3. p. 161*, icon ex *Clusio.*

Leontopodium verius Dioscoridis. *Barr. ic. 296*, pessima.

In collibus aridis calcareis Samnii ; *monte di Mezzo:* Aprutii ; *Aquila, Caramanico, Roccamorice.*

Majo, Junio. ⊙

Caules in locis aridis sterilibus saepe diffusi, ab ipsa basi ramosi.

CONYZA *SORDIDA. Lin.*

C. suffruticosa, foliis linearibus angustissimis revolutis integerrimis ramisque albo-tomentosis, pedunculis elongatis subtrifloris, squamis calycinis ovato-lanceolatis adpressis. *Lin. mant. 466. Sebast.* et *Maur. fl. rom. pr. p. 286. Will. sp. pl. 3. p. 1932. Pers. syn. 2. p. 427. Lam. dict. enc. 2. p. 87. Spr. s. veg. 3. p. 510.*

Ic. Stoechadi citrinae affinis, capitulis parvis raris. *Bauh. hist. 3. p. 1. pag. 156,* bona.

Chrysocoma muralis, paucioribus congestis fuscisque capitellis. *Barr. ic. 277,* bona ; et

Stoechas citrina spuria, longioribus foliis. *id. 368,* mediocris.

Ageratum aliud quorundam. *Dalech. hist. 778,* mediocris.

In saxosis, et vetustis muris oppidorum Aprutii ; *Colli sulla strada di Tagliacozzo:* in ditione romana *a Rionero.*

Junio, Julio. ♄

A *C. Tenorii Spr.* differt, foliis linearibus an-

gustissimis integerrimis; a *C. saxatili*, squamis calycinis adpressis obtusis, foliis tomentosis; ab utrisque pedunculis apice 2-3-floris.

CONYZA *TENORII. Spr.*

C. suffruticosa, foliis lineari-lanceolatis subundulatis supra viridi-lanatis glabriove subtus niveo-tomentosis, squamis calycinis glabris obtusis adpressis, pedunculis subgeminis unifloris subcorymbosis. *Spr. pug. 1. p. 55. Link. en. alt. H. Ber. 2. p. 322.*

C. geminiflora. *Ten. fl. nap. 2. p. 213. Link. l. c. p. 323.*

Ic. *Ten. l. c. t. 67!*

Chrysocoma latifolia, minima, singulari flore. *Barr. obs. 980. ic. 425.*

Stoechadi citrinae alteri inodorae Lobelii affinis, capitulis brevioribus. *Bauh. hist. 3. p. 157*, quae ex ejusdem observatione diversa est ab Elichryso sylvestri, etc. *Bauh. prodr. p. 113. f. 2*, ad *C. saxatilem* spectante.

b. foliis linearibus angustis, squamis calycinis infimis acutis, margine inciso-serratis.

In rupibus calcareis, et aridis collibus maritimis Calabriae orientalis; *Reggio*, *Capo Colonna*, *Capo di Bova:* Japygiae; *Capo di Leuca*, *Taranto*; varietas *b.*, in Calabria, *a Capo Colonna.*

Majo, Junio. ♄

Pro locorum natura variat *caule* semipedali, pe-

dali et ultra: *foliis* supra plus vel minus viridi-lanatis, et aliquando omnino glabris, semper vero atrovirentibus; angustioribus vel latioribus, 2-5-lin. latis: *squamis calycinis* omnibus obtusissimis, vel infimis acutis; integerrimis vel inciso-serratis: tamen semper ab affinibus distincta, habitu squamis calycinis obtusis, et foliis lanceolatis acutis, non spathulatis vel obtusis. Hinc penitus mihi latet cur Cl. *Sprengel*, qui primus uti speciem diversam a *C. saxatili* hanc evulgavit, inde in suo *S. veg. 3. p. 510* cum illa conjunxerit; dum aliunde Cl. *Link. l. c.* immerito tanquam species diversas *C. geminifloram*, et *C. Tenorii* enumerat.

Aster *alpinus. Lin.*

A. caule herbaceo unifloro folioso, foliis integerrimis pubescentibus, radicalibus lanceolato-spathulatis, caulinis calycinisque squamis subaequalibus lanceolatis obtusiusculis. *Lin. sp. pl. 1226. Will. sp. pl. 3. p. 218. Pers. syn. 2. p. 442. Lam. dict. enc. 1. p. 302. Spr. s. veg. 4. p. 527. Ten. fl. nap. pr. supp. 4. p. 12.*

Ic. *Jacq. austr. t. 88.*

Aster VIII, austriacus v. *Clus. hist. 2. p. 15*, optima.

In alpinis montium Aprutii; *Monte Costone, Monte Intermesole, Monte Corno: al monte de' Fiori* collegit amicissimus *Orsini.*

Julio; Augusto. 4

Caulis in nostris plantis foliosus, non vero 2-3 foliis instructus, uti ex *Gouani* observatione.

PYRETHRUM *GRAMINIFOLIUM*.

P. caule simplicissimo unifloro, foliis infimis radicalibus obovato-cuneatis in petiolum attenuatis apice irregulariter dentatis, caulinis inferioribus lineari-cuneiformibus dentato-incisis, summis linearibus subintegris, squamis calycinis margine atris apice scariosis.

Chrysanthemum graminifolium. *Lin. sp. pl. 1252. Will. sp. pl. 3. p. 2144. Pers. syn. 2. p. 460. Dec. fl. fr. 4. pag. 179. Spr. s. veg. 3. p. 583. Ten. fl. nap. 2. p. 233.*

Matricaria graminifolia. *Desr. dict. enc. 3. p. 732.*

Ic. *Lam. ill. gen. t. 678. f. 5! Jacq. observ. t. 92.*

Bellis montana, gramineis foliis. *Magn. hor. t. 31.*

b. squamis calycinis concoloribus.

In herbidis saxosis montium Aprutii; *Majella nella valle dell' Orfenta, a S. Spirito, nella valle dell' inferno.*

Julio, Augusto. 4

Radix fibrosa, caespitosa, nigricans. *Caules* erecti vel adscendentes, simplicissimi, glaberrimi, substriati, pedales et ultra, inferne foliosi, superne nudi. *Folia* glaberrima, laete virentia, 3-4 lin.

lata, 1-1½ poll. longa una cum petiolo canaliculato; radicalia et caulina inferiora longe petiolata, dentata vel incisa; laciniis linearibus, integerrimis, divaricatis; aliquando apice tantum trifida; caulina superiora linearia, acuta, sessilia, integerrima vel pectinato-dentata, adscendendo angustiora, integriora, breviora, et magis distantia. *Flores Chrysanthemi leucanthemi:* squamis calycinis exterioribus, brevioribus, acutioribus; interioribus obtusissimis, apice membrana scariosa auctis; omnibus vero glabris, integris, subcarinatis et margine atris; in varietate *b.* concoloribus. *Corollae* radii obtusae, rotundatae, integrae, vel 2-3-dentatae. *Semina* conica, incurva, striata, glabra, truncata, centralia corona destituta; marginalia pappo membranaceo denticulato vel integro coronata. *Receptaculum* ovato-conicum, glabrum, punctato-scabrum, punctis spiraliter dispositis.

Ob semina marginalia pappo coronata, ad hoc genus, et non ad *Chrysanthema* pertinet.

PYRETHRUM CERATOPHYLLOIDES, *b. tenuifolium.*

P. caule simplici unifloro, foliis glaberrimis, radicalibus caulinisque inferioribus bipinnatifidis, laciniis linearibus subdivergentibus planis acutis integris bifidisque, supremis linearibus integerrimis, calycibus glabris squamis margine atris.

P. ceratophylloides. *Ten. fl. nap. 2. p. 233.*

Ic. *nulla.*

In herbosis saxosis montium Samnii; *Capra-cotta:* Aprutii; *Rocca valle oscura, Piano di cinquemiglia.*

Junio, Augusto. 2

Radix caespitosa, sublignosa, nigricans, transversa, fibras perpendiculares emittens. *Caules* erecti vel adscendentes, simplicissimi, glaberrimi, pedales et bipedales, apicem versus nudi. *Folia* laete virentia; radicalia primordialia petiolata, pinnatifida; laciniis latis, dentatis: reliqua una cum caulinis inferioribus bipinnatifida; laciniis linearibus, vix semilineam latis, 5-12-lin. longis, subcarnosis, rectis vel curvatis, saepius divergentibus, integris vel in foliis pinnatifidis 2-3-fidis: superiora aliquando profunde pinnatifida; suprema sessilia, basi lacinia una aut altera instructa. *Petioli* canaliculati, dentati, prope basim dilatati, subamplexicaules, subtus carinati. *Flores* magni, albi, speciosi, diametro bipollicari. *Calycis* hemisphaerici squamae subcarinatae, glabrae, margine atrae; exteriores ovato-lanceolatae, acuminatae; interiores obtusae, apice et margine membrana scariosa denticulata auctae. *Corollulae* radii candidae, calyce duplo et ultra longiores, nervosae (non sulcis duobus notatae), obtusae, integrae, emarginatae vel tridentatae. *Semina* conica, nigro-striata, nervis prominulis albidis; coronata pappo scarioso, tubuloso, apice denticulato-lacero, vix semilineam longo, albido, aliquando dimidiato. *Receptaculum* nudum, elevato-punctatum.

ANTHEMIS *CHIA. Lin.*

A. foliis glabriusculis virentibus bipinnatifidis, laciniis trifidis brevibus obovato-cuneatis obtusis mucronatis, petiolis amplexicaulibus basi setaceo-dentatis (radio albo), seminibus exterioribus pappo scarioso dimidiato coronatis centralibus nudis, receptaculi paleis deciduis. *Lin. sp. pl. 1260. Will. sp. pl. 3. p. 2179. Pers. syn. 2. p. 466. Lam. dict. enc. 1. p. 574. Spr. s. veg. 3. p. 594?*

Ic. *nostra t. 60.*

Sibth. fl. gr. t. 884, ex prodr.

Chamaemelum chium, vernum, folio crassiore, flore magno. *Buxb. cent. 5. p. 37. t. 70.*

In campis et arvis cultis, ac ad margines agrorum in Calabria; *da Reggio a Spartivento.*

Martio, Aprili. ⊙

Radix fibrosa, herbacea. *Caulis* solidus, cylindricus, subangulatus, striatus, pubescens, rubescens, alterne ramosus; ramo centrali erecto, lateralibus diffusis, apice adscendentibus. *Folia* laete virentia, superne glabra et sub lente glandulis minutis conspersa, subtus nervo prominulo in divisione primaria, pilisque brevissimis pubescentia, raro punctata: radicalia latiora, 1-2-poll. longa, 1 poll. lata, supra terram in orbem expansa: reliqua patentia angustiora, et breviora: omnia alterna, bipinnatifida; rachide integra, superne plana, subtus carinata; laciniis obovato-cuneatis, 2-3-lin. longis, 2-3-

fidis, terminali triloba; segmentis planis, ovatis oblongisque, lin. longis, semilineam latis, obtusissimis et fere rotundatis, setula albida brevissima terminatis. *Petioli* subamplexicaules; aliquando ad margines glandulosi revoluti ac rubentes, supra canaliculati, subtus carinati, nervo carinali per caulem decurrente. *Pedunculi* ramos terminantes striati, uniflori, pilis albis varie adpressis pubescentes, fistulosi, sub flore vix incrassati, sub anthesi breves et nutantes, demum erecti et elongati, 3-4-pollicares. *Calyx* hemisphaericus; squamis imbricatis, glabris, 2-2 ½ lin. longis, ½ lin. latis, virentibus, ecarinatis, planis, margine sphacelatis; interioribus lineari-oblongis, latioribus, appendice membranacco-scariosa apice instructis, obtusis, quandoque denticulatis: exterioribus ovato-lanceolatis, acutioribus et appendice fere destitutis. *Corolla* pollicem lata. *Corollulae* radii albae, oblongae, apice tridentatae; disci tubulosae, 5-dentatae; denticulis aequalibus, acutis, subciliatis, revolutis; tubo subangulato, scabriusculo, in medio constricto; basi post anthesim incrassata. *Semina* teretia; *radialia* saepius abortiva, subincurva, striata, albida, coronata pappo scarioso dimidiato vel tubuloso, et tunc oblique truncato ex ea parte qua faciem corollulae lingulatae respicit, apice integro vel denticulato, sphacelato, vel sub lente lineolis nigris varie notato, ½-1-lin. longo: *semina centralia* magis incurva, caeterum prioribus similia, sed corona integra brevissima uniformi instructa, rudi-

mento styli in coronae centro prominente. *Receptaculum* hemisphaericum, paleaceum, tuberculatum, tuberculis spiraliter dispositis. *Paleae* receptaculi fere obovatae, membranaceo-scariosae, acutae vel obtusiusculae, apice integrae vel denticulatae, subsphacelatae, albidae, concavae, 1-lin. longae, $\frac{1}{3}$ lin. latae, flosculis breviores.

Synonymon *Spreng. l. c.* cum dubio citavi, nam in nostra nec folia subincana nec receptaculi paleae cuspidatae, ut ab illo dicuntur.

ANTHEMIS *SECUNDIRAMEA. Biv.*

A. caule diffuso ramoso herbaceo foliisque petiolatis bipinnatifidis subcarnosis glabris, laciniis abbreviatis obtusiusculis muticis 3-fidis; pedunculis demum fistulosis superne incrassatis (radio albo), receptaculo conico cylindraceo, paleis lanceolatis acutis adhaerentibus. *Biv. cent. 2. p. 10. Spr. s. veg. 3. p. 594.*

A. maritima, annua, odorata, praecox, flore albo, caule purpurascente. *Mich. gen. 33. n.° 6?*

Ic. *Biv. l. c. t. 2.*

Till. Hort. pis. p. 39. t. 21. f. 3?

In lapidosis maritimis Calabriae; *Reggio:* Peucetiae; *Monopoli.*

Majo, Junio. ⊙!

Rami non semper secundi; *foliorum laciniae* plus minusque latae, nunquam vero lineam exce-

dentes, obtusae vel acutiusculae, aut lineari-lanceolatae, nunquam vero apice dilatatae. *Receptaculum* in anthesi hemisphaericum, demum conico-cylindraceum.

Synonymon *Michelii*, et iconem *Tillii* (quamvis in hac caulis erectus depingatur) ad *A. maritimam* ab auctoribus relata, potius ad hanc speciem spectare arbitror.

ANTHEMIS *PETRAEA*. *Ten.*

A. caulibus simplicibus erectis vel adscendentibus unifloris foliisque bipinnatifidis glabris, laciniis linearibus cuneatis acutiusculis integris, calycinis squamis glabris nigro-marginatis (radio albo), paleis sub adhaerentibus lanceolatis acutis, seminibus subtetragonis. *Ten. fl. nap. 2. p. 246. Spr. s. veg. 3. p. 593.*

Ic. *Ten. l. c. t. 82.*

In herbosis saxosis, interque lapides liberas montium Aprutii: *Monte Intermesole, Monte Corno, Majella.*

Julio, Augusto. ♃

Planta virens, glaberrima, odore ingratissimo praedita, ad illum *Santolinae squarrosae* accedente. *Radix* transversa, sublignosa, nigricans. *Caules* basi dense caespitosi; cauliculi annotini inferne foliosi, superne in pedunculum nudum terminati, teretes, leves, semipedales vel pedales. *Folia* radi-

calia petiolata, petiolo canalioulato inferne carinato; caulina sessilia, subamplexicaulia: suprema pinnatifida, raro linearia, integra; laciniae vix semilineam latae, 2-5-lin. longae, planae, subtus punctatae, apice acutae vel obtusae cum acumine. *Calyces* hemisphaerici; foliolis exterioribus ovatis, acutis, carinatis; interioribus lineari-oblongis, margine apiceque membranaceis. *Corollulae* radii albae, oblongae, lineatae, obtusae, integrae vel apice tridentatae, 6-7 lin. longae, 2-3 lin. latae; disci 5-dentatae, denticulis aequalibus. *Semina* omnia inverse pyramidata, subincurva, striata, glabra, apice corona membranacea truncata denticulata brevissima instructa. *Receptaculi* demum conici paleae lineari-lanceolatae, subcarinatae, apice obtusiusculae, aliquando denticulatae, mucronulatae, mucrone atro, corollulis subaequales.

ANACYCLUS *MUCRONULATUS*.

A. viridi-pubescens, caule simplici decumbente unifloro, foliis radicalibus bipinnato-decompositis, laciniis linearibus acuminatis, calycibus paleisque apice sphacelatis (radio discolore), seminibus compressis marginatis.

Anthemis mucronulata. *Bertol. am. ital. p. 46. Ten. fl. nap. pr. supp. 3. p. 380. Spr. s. veg. 3. p. 594*, excluso synonymo *Preslii* ad aliam plantam certe spectante.

Ic. Pyrethrum alterum, minus, caespitosa radice, Anthemidis flore italicum. *Barr. ic. 552*; sed flores jam exsiccati.

In umbrosis rupibus muscosis septentrionalibus montium Aprutii; *Majella*, et *Morrone* ubi *Barrelierius* invenit; at in alpinis nunquam adscendit.

Junio, Julio. 4

Radix non fusiformis, sed transversa, fibris perpendicularibus ramentisque foliorum prope collum dense stipata; *folia* plus minus pubescentia, semper tamen viridia, laciniis magis vel minus divaricatis et elongatis; *receptaculi* conici paleae deciduae, apice irregulariter denticulatee. *Semina* uniformia, compressa vel compresso-triquetra, non striata, margine albido angusto circumdata; calyculo brevissimo truncato coronata.

ANACYCLUS *BARRELIERI*.

A. sericeo-tomentosus, caule simplici decumbente unifloro, foliis radicalibus bipinnatifidis caulinis pectinato-pinnatifidis, laciniis brevibus oblongo-ellipticis obtusiusculis, calycinis squamis paleisque margine nigro-marginatis (radio discolore), seminibus compressis marginatis.

Anthemis Barrelieri. *Ten. fl. nap. 2. p. 245. Spr. s. veg. 3. p. 593.*

Ic. *Ten. l. c. t. 81.*

Chamaemelum montanum, incanum, absynthoides italicum. *Barr. ic. 457.*

In glareosis alpinis montium Aprutii; *Monte Costone*, *Monte Intermesole*, *Monte Corno*, *Majella*

Augusto, Septembri. 2f

Habitus omnino praecedentis speciei, a qua potissimum differt *pubescentia* albida sericea totius plantae; *foliorum* laciniis brevioribus, confertioribus, minus divaricatis. *Calycis* squamae vel pubescentes ut in illa, vel carina albo-tomentosae.

Sola seminum figura characterem certum liquidumque praebet, cujus ope *Anthemidem* ab *Anacyclo*, licet sint genera alioquin valde affinia et omnino artificialia, distinguere possumus; nam etiam nonnullas *Anthemides*, uti *Anacyclos*, radio destitutas esse videmus. Hinc vel haec duo genera in unum conjugenda, praesentia aut absentia radii omnino neglecta, aut ad *Anacyclos* omnes *Anthemidum* species semina marginalia compressa et alata gerentes, referendas esse censeo.

SYNGENESIA-FRUSTRANEA.

CENTAUREA *AUSTRIACA*. *Will.*

C. foliis scabris hirsutis indivisis integris vel grosse dentatis, radicalibus (latis) ovatis, caulinis oblongo-lanceolatis, supremis amplexicaulibus, squamis calycinis recurvato-plumosis, intimis apice scariosis subrotundis. *Will. sp. pl. 3. p. 2283. Pers.*

syn. 2. p. 482. Poir. dict. enc. supp. 2. p. 151. Spr. s. veg. 3. p. 401.

Ic. *nulla.*

In pascuis montosis Aprutii; *sopra Pietra Camela*, primus invenit *Orsini.*

Julio, Augusto. 4

Caulis simplex, erectus, inferne angulatus, superne angulato-striatus, puberulus, scabriusculus, 1-2-florus. *Folia* omnia indivisa; caulina inferiora petiolata, grosse dentata, 2-3-poll. longa, poll. et ultra lata, acuta et aliquando mucronata; suprema sessilia obsolete denticulata. *Calyces* majores quam in C. *phrygia*, squamis apice nigro-maculatis. *Pili* qui folia obtegunt, articulati sunt.

CENTAURBA *MACULOSA. Lam.*

C. caule simplici vel corymboso foliisque cinereo-tomentosis, radicalibus lyrato-pinnatifidis, caulinis inferioribus subbipinnatifidis, summis lanceolato-linearibus basi pinnatifido-dentatis laciniisque inferiorum apice acutis mucronatis, calycis globosi squamis omnibus nigro-maculatis ciliatis. *Lam. dict. enc. 1. p. 669. Dec. fl. fr. 4. p. 96. Pers. syn. 2. p. 483. Spr. s. veg. 3. p. 398*, excluso synonymo *Tenorii.*

Ic. *Jacq. Hort. Vind. t. 92.*

Gmel. sib. 2. p. 99. t. 44. f. 1. et *2.* optima

quoad folia, sed mala quoad squamas calycis, quae nimis negligenter pictae.

In montosis rupibus Aprutii; *Monte Costone, Monte Intermesole, Majella.*

Julio, Augusto. ♃

Caulis erectus vel adscendens, angulatus, simplex vel ramosus, corymbosus, ½-1½ pedalis. *Folia* omnia cinereo-incana, plus minus tomentosa; radicalia primordialia lanceolata integra, reliqua pinnatifido-lyrata; laciniae omnes non angustissimae, sed lineam et ultra latae, apice setula nigra extante terminatae, in foliis caulinis inferioribus saepe incisae, et tunc folia fere bipinnatifida. *Pedunculi* sub flore incrassati, fistulosi. *Calycis* squamae glabrae, omnino nigrae vel apice tantum nigro-maculatae, ciliis albis vel nigris; intimae lacerae scariosae.

C. dissecta Ten. huic certe proxima ob calyces; sed foliis satis superque distincta.

CENTAUREA *AMBIGUA. Nob.*

C. viridi-canescens, caule erecto irregulariter ramoso, foliis radicalibus lyrato-pinnatifidis laciniis oblongo-linearibus subincisis, caulinis pinnatifidis laciniis linearibus, supremis subintegris lanceolatis, calycis ovati squamis exterioribus appendiculatis ciliatis adpressis nervosis concoloribus, interioribus linearibus subintegris.

Ic. *nostra t. 61.*

In collibus aridis, et in cultis Aprutii; *Caramanico*, *Roccamorice*.

Julio, Augusto. 4

Radix in campis cultis multiceps, in collibus subcaespitosa. *Caules* diffusi vel erectiusculi, apice ramosi, angulati, uti folia sparse floccoso-pubescentes et scabri, pedales vel bipedales. *Rami* erecti, irregulariter elongati, in pedunculos subincrassatos angulato-striatos terminati, uniflori. *Folia* radicalia in petiolum attenuata; infima cito pereuntia lanceolata, indivisa, subdentata: reliqua lyrato-pinnatifida; laciniis lateralibus, ovali-lanceolatis linearibusque, planis, 1-4 lin. latis, pollicem longis, obtusiusculis cum brevi mucrone, indivisis vel basi e latere exteriore saepius dentato-incisis; rachide inter lacinias integra: caulina inferiora sessilia, pinnatifida; laciniis linearibus, integris, mucronatis, 1-2 lin. latis: intermedia basi tantum pinnatifida, pollicem longa: suprema linearia, integerrima, acuta, uti praecedentia saepe deflexa. *Calyces* glabriusculi, *Avellanae* magnitudinis vel majores; squamis exterioribus ovatis, nervosis, apice appendice scariosa ciliata instructis; interioribus linearibus, obtusis, sub apice nervosis, duplo longioribus. *Flores* purpurascentes. *Semina* nitida.

Habitus *C. paniculatae*, et prope ipsam locus; at differt foliis nunquam bipinnatifidis, laciniis latioribus; ramis magis divaricatis et irregulariter

elongatis, non corymbosis; floribus duplo et ultra majoribus.

CENTAUREA *DEUSTA. Ten.*

C. caule erecto paniculato, foliis inferioribus bipinnatifidis, superioribus pinnatifidis, pinnis lanceolato-linearibus integerrimis, calycibus ovatis, squamis scariosis obtusissimis laceris submuticis dorso longitudinaliter nigro-maculatis. *Ten. fl. nap. 2. p. 266.*

Ic. *Ten. l. c. t. 84.*

b. angustifolia; foliorum radicalium laciniis angustissimis, calycinis squamis subintegris mucronatis.

c. divaricata; caule humiliore divaricato, foliorum laciniis abbreviatis, calycibus minoribus.

In collibus maritimis Calabriae; *Bagnara, Scilla:* varietas *b.*, *Cassano* ad rupes calcareas: varietas *c.* in collibus Japygiae; *Gallipoli, Tricase, Punta di Cutaro.*

Majo, Junio. ♂

Varietas *b.* quoad descriptionem *C. nitenti* proxima, at *foliis* bipinnatifidis, et laciniis margine non revolutis diversa. In varietate *c. folia* caulina superiora minus pinnatifida, aliquando basi tantum dentata; *caulis* humilior, magis scaber et angulatus.

SYNGENESIA—NECESSARIA.

CALENDULA *STELLATA*, *b. crocea.*

C. seminibus difformibus, marginalibus aliis teretibus margine non membranaceis dorso muricatis rectis incurvisve, alteris cymbiformibus margine membranaceis inciso-dentatis carina leviusculis, interioribus omnibus incurvatis subteretibus transverse sulcatis tuberculatis.

Ic. *nulla.*

In herbosis collibus apricis Calabriae orientalis; *da Reggio a Capopellaro, al Bianco nuovo, marina di Suverato, sotto Cariati.*

Martio, Aprili. ♂, vel ⊙

Caulis angulatus, pubescens, fistulosus, erectus vel adscendens, scaber, viridis aut rubescens, pedalis et ultra, ramosus; ramis erectis. *Folia* acuta, margine undulato-denticulata, denticulis glandula nigra terminatis; scabra, pubescentia: inferiora lineari-oblonga, in petiolum attenuata, 1 ½ ad 2 poll. longa, semipollicem lata; superiora cordato-oblonga vel cordato-lanceolata, basi dilatata, sessilia, amplexicaulia, versus apicem caulis sensim angustiora, et longius acuminata. *Pedunculi* striati, sub flore vix incrassati. *Calycis* foliola subaequalia, acuminata, lineari-lanceolata, integerrima, margine quandoque scariosa, basi viridia, a medio ad api-

*

cem purpurascentia, pilis nigris obsita, vix carinata, corolla dimidio breviora. *Corolla* concolor, crocea, diametro 1-2-pollicari; corollulae radii tridentatae, basi pilis albidis longis hispidae; disci vix pubescentes. *Florum* color ac magnitudo constantes, sed *semina* marginalia summopere variabilia sunt. Nunquam desunt illa, quae sunt cymbyformia, incurva, et haec nunc apice truncata, nunc producta et apice teretia; sed illa, quae longiora protensa stellata et teretia sunt, aliquando desiderantur. Praeterea haec quoque nunc recta stellata, nunc incurva, nunc teretia, nunc margine membranaceo dentato-cristato instructa, et tunc *C. stellatam Cav.* magis referunt.

Ad hanc spectat varietas *C. stellatae* a *Desf.* in *fl. atl. 2. p. 305* relata. Confer *Ten. fl. nap. 2. p. 278.* An species propria?

SYNGENESIA—NECESSARIA.

ECHINOPS *RITRO*, *b. elegans. Bert. ined.*

E. caule simplici vel ramoso, foliis bipinnatifidis, supra glabris subtus cauleque albo-tomentosis, laciniis ovato-lanceolatis dentato spinosis, calyculis basi pilosis, squamis apice coloratis margine pilis simplicibus brevibus ciliatis. *Visian. stirp. dalmat. specim. p. 34!*

Ic. *nulla.*

In asperis calcareis montosis Aprutii: *valle dell' Inferno alla Majella.*

Augusto, Septembri. 2[4]

Caulis 1-2-pedalis, simplex vel apice in pedunculos 2-3 subcorymbosos divisus; *folia* supra nitida, laete virentia, sed hinc inde arachnoidea, semper bipinnatifida, laciniis squama valida albida terminatis; *calyculi* ad basim pilis albidis undique obsiti; *squamae* calyculi carinatae, apice coloratae, glabrae, in margine fere ad medium ciliis brevibus simplicibus instructae.

Differt ab *E. ritro* calyculis basi pilosis, et squamis non usque ad apicem, sed ad medium usque ciliatis (confer *Lin. Will. Dec. Lam. Spr.*), et ab *E. ruthenico*, cui magis videtur proximus, foliis semper bipinnatifidis et habitu.

CLASSIS XX.

GYNANDRIA-MONANDRIA.

ORCHIS *MEDITERRANEA. Nob.*

O. labello obovato trilobo, lobis lateralibus majoribus integris intermedio angustiore longiore bilobo, calycinis foliolis reflexis, cornu adscendente obtuso germine duplo breviore, bracteis coloratis germina aequantibus, foliis lineari-lanceolatis, radice testiculata.

Ic. *nulla.*

In inundatis, cultis que maritimis Calabriae ac Lucaniae orientalis et occidentalis, nec non in Sicilia meridionali.

Aprili, Majo. 2ℓ

Bracteae concavae, lineari-lanceolatae, apice acuminatae, aliquando germine longiores. *Calycis foliola* exteriora reflexa; interiora conniventia, fornicata, invicem incumbentia. *Labellum* apice ampliatum, trilobum; lobis lateralibus horizontalibus vel dependentibus; intermedio plano, bilobo, vel profunde emarginato. *Cornu* rectum, horizontale vel dependens, nunquam adscendens.

Ab *O. ensifolia*, cum qua simul provenit et cujus habitum caules ac folia omnino referunt, in primis distinguitur labelli forma; nam lobus intermedius non brevior et aliquando fere obsoletus; sed longior et bilobus vel emarginatus.

CLASSIS XXI.

MONOECIA-TRIANDRIA.

CAREX *PSEUDO-CYPERUS. Lin.*

C. spica mascula solitaria, foemineis quaternis cylindricis pedunculatis pendulis, stigmatibus tribus, fructibus ovato-lanceolatis bicuspidatis demum reflexis squamam lineari-setaceam aequantibus. *Will.*

sp. pl. 4. p. 295. Pers. syn. 2. p. 545. Lam. dict. enc. 3. p. 393.

Ic. *Host. gram. austr. 1. t. 85*, optima.

Pseudo-cyperus. *Dod. pempt. 339.*

In fossis maritimis Calabriae orientalis; *Catanzaro alla marina del fegato.*

Aprili, Majo. ♃

Spicae foemineae apud nos semper solitariae, ut in citata icone *Hostii*; non vero geminatae, ut ex descriptione *Lin. Will.* et aliorum.

CAREX *LONGEARISTATA. Biv.*

C. spicis masculis subquinis acutis, foemineis subternis approximatis cylindricis erectis inferioribus pedunculatis (saepe androgynis), stigmatibus tribus, fructibus squama nervosa aristata brevioribus obovatis compressis margine superne ciliato-serratis brevissime rostratis, ore pertuso. *Bivon. pl. rar. sic. manip. 4. p. 8. Spr. s. veg. 3. p. 828.*

Ic. *Biv. l. c. t. 2.*

In fossis, et uliginosis maritimis Calabriae orientalis; *Crucoli, Cariati, Cassano, Catanzaro.*

Majo, Junio. ♃

QUERCUS *PSEUDO-COCCIFERA. Desf.*

Q. foliis oblongis spinoso-dentatis utrinque glabris perennantibus, squamis calycinis rigidis patentibus, fructibus subsessilibus oblongis apice obtusis calycem vix duplo superantibus. *Desf. atl. 2. p. 349. Labill. pl. rar. Syr. dec. 5. p. 9. Will. sp. pl. 4. p. 434. Pers. syn. 2. p. 568. Poir. dict. enc. supp. 1. p. 216.*

Ic. *Labill. l. c. t. 6.*

b. foliis integris vel spinoso-serratis, fructibus subsolitariis pedunculatis calyce obtectis, squamis calycinis lanceolatis imbricatis.

Q. obtecta. *Poir. dict. enc. supp. 1. p. 218?*

In collibus calcareis maritimis Japygiae ambo varietates occurrunt; *Castro, Racale.*

Aprili, Majo. ♃

Arbor 10-15 ped. alta; *ramis* divaricatis, irregularibus, junioribus densa lanugine pubescentibus vel subtomentosis, cortice vix rimoso nec fungoso obductis. *Folia* rigida, basi subcordata, apice obtusa mucronata, subtus venosa, 4-6 lin. lata, ½-1 poll. longa, petiolata; petiolis supra canaliculatis, 2-3 lin. longis, tomento ferrugineo usque ad basim rachidis folii producto obsitis. *Fructus* axillares, solitarii, sed saepius gemini, stylo persistente coronati; in *b.*

calyce vix longiores, pedunculati; *pedunculis* incrassatis, subclavatis, lignosis, ferrugineo-tomentosis, 3-5 lin. longis. *Squamae* calycinae obtusiusculae, pubescentes.

Habitus omnino *Q. coccifera*e, quae in iisdem locis provenit; a qua tamen differt, trunco altiore, foliis longioribus, calycibus pedunculatis, fructibus ellipticis brevioribus; qui in illa lanceolati, acuminati, calyce triplo longiores, raro bini: tamen foliorum forma, et squamarum calycis directio characteres parvi momenti praebent pro hisce speciebus discriminandis.

MONOECIA-MONADELPHIA.

ARUM *DRACUNCULUS. Lin.*

A. foliis pedatis, foliolis lanceolatis integerrimis, spatha ovata plana glabra spadicem subclavatum superante. *Lin. sp. pl. 1367. Will. sp. pl. 4. p. 478. Lam. dict. enc. 3. p. 7. Pers. syn. 2. p. 574. Spr. s. veg. 3. p. 770. Ten. fl. nap. pr. p. 55.*

Ic. *Lam. ill. gen. t. 740. f. 2.*

Dracontium. *Dod. pempt. 329.*

In collibus, et sepibus maritimis Calabriae orientalis; *dal Bianco nuovo a Corigliano:* Japygiae; *Torricella.*

Aprili, Majo. ♃

CLASSIS XXII.

DIOECIA—MONADELPHIA.

JUNIPERUS *PHOENICIA. Lin.*

J. foliis ovatis obtusiusculis minimis adpressis dorso fovea oblonga notatis, junioribus ternis senioribus oppositis quadrifariam imbricatis. *Lin. sp. pl. 1471. Will. sp. pl. 4. p. 855. Pers. syn. 2. p. 632. Lam. dict. enc. 2. p. 628. Spr. s. veg. 3. p. 909. Ten. fl. nap. pr. p. 57.*

J. *Lycia. Lin. l. c. Will. l. c. Pers. l. c. Ten. l. c. Viv. ann. bot. vol. 1. p. 187*, et *Fl. lyb. spec. p. 61.*

Ic. *Duham. arb. ed. nov. v. 6. t. 17.*

J. major Dioscoridis. *Clus. hist. 1. p. 38.*

b. Lobelii ; foliis inferioribus ternis carinatis acutis elongatis 1-2 lin. longis erecto-patentibus, superioribus obtusis quadrifariam imbricatis dorso excavatis, baccis sessilibus subrotundis, tuberculis lateralibus demum obliteratis.

Ic. *nostra t. 62.*

Sabina baccifera. *Lob. ic. 2. p. 220.*

In collibus aridis, et arenosis maritimis Jonii ac Adriatici: varietas *b.* in Japygia; *fra Torricella e Taranto, e presso Gallipoli vicino al mare.*

Januario, Februario. ♄

Quibus rationibus *J. lycia* et *J. phoenicia* in unam speciem associandae sint, confer *Lam.* et *Viv. l. c.*, quos et Cl. *Spr. l. c.* etiam sequutus est. Varietas *b.* rara, sed non videtur species peculiaris. Confer quae de hac dicit *Bauh. pin. p. 487*, sub *Cedrus folio Cupressi minor n.° 111.*

CLASSIS XXIII.

POLYGAMIA–MONOECIA.

AEGYLOPS *TRIARISTATA. Will.*

A. spica oblonga (brevi), calycibus triaristatis, aristis calycinis aequalibus approximatis semipatentibus, culmis erectis. *Will. sp. pl. 4. p. 943*, excluso synonymo *Hostii. Poir. dict. enc. supp. 2. p. 540. R. S. s. veg. 2. p. 771.*

Ic. Gramen spicatum, durioribus ac crassioribus locustis, spica brevi. *Scheuch. agrost. t. 1. f. 2.*

Festuca, sive Aegylops narbonensis. *Lob. hist. 20. ic. 236.*

In aridissimis collibus Calabriae orientalis; *da Capo Colonna a Capo Rizzuto*, *Stalatti*: et Japygiae; *Gallipoli*, *Ugento.*

Majo, Junio. ⊙

Gluma corollina exterior 3-aristata; *arista* intermedia glumis duplo vel triplo longiore. Variat aliquando glumis calycinis 4-aristatis, et tunc facile

*

cum *A. ovata* confunditur, uti jam arbitrati sunt Cl. *Sebast.* et *Maur.* in *fl. rom. prodr. p. 67 :* sed in hac spicae minores ac breviores; glumae calycinae semper 4-aristatae; aristae a se invicem divaricatae, quarum duae elongatae; folia breviora; culmi genu decumbentes vel adscendentes : dum in *A. triaristata* spicae longiores; aristae validiores, 1-1½ poll. longae, fere semper tres, raro quatuor, invicem approximatae non divaricatae; culmi erecti ac altiores, pedales et ultra; et quamvis in iisdem locis simul crescentes passim invenerim, tamen semper inter se diversas comperi. A sequenti non distincta a Cl. *Spr.* in *s. veg. 1. p. 327;* at differt, quia spica vix pollicaris, aristae omnes aequales, dum in illa spicae longissimae 2-3-pollicares, et aristae florum binorum terminalium reliquis duplo longiores sunt.

AEGYLOPS *TRIUNCIALIS. Lin.*

A. spica cylindrica elongata, calycibus inferioribus 2-3-aristatis, aristis subapproximatis, flosculorum binorum terminalium reliquas duplo excedentibus. *Lin. sp. pl. 1489. Will. sp. pl. 4. p. 943. Pers. syn. 1. p. 107. Lam. dict. enc. 2. p. 345. R. S. s. veg. 2. p. 772. Spr. s. veg. 1. p. 327,* excluso synonymo *A. triaristatae. Ten. fl. nap. pr. p. 57.*

Ic. *Host. gram. austr. 2. t. 6. Schreb. gram. t. X. f. 1. Lam. ill. gen. t. 839. f. 3.*

Gramen spicatum, durioribus et crassioribus locustis, spica longissima. *Vaill. bot. par. t. 17. f. 1.*

In collibus aridis Calabriae orientalis; *Capo della Trinità*: Lucaniae; *Policoro*: Japygiae; *Taranto*, *Nardò*: Aprutii; *Aquila.*

Majo, Junio. ⊙

Glumae corollinae exteriores 2-3-aristatae; *aristis* gluma duplo brevioribus vel aequalibus, intermedia magis elongata; *spica* 2-2½ poll. longa.

AEGYLOPS *ECHINATA. Presl.*

A. spica cylindrica elongata, calycibus muricatis omnibus triaristatis, aristis divaricatis patentibus.

A. spica cylindracea, glumis 7-nerviis muricatis triaristatis, palea externa biaristata, aristis palea brevioribus. *Presl. cyp. et gram. sic. p. 47. Ten. fl. nap. pr. supp. 4. p. 12.*

Ic. *nulla.*

In arenosis torrentium alveis Calabriae; *da Reggio a Cirò*, *Cariati*, *Cassano*, *Amendolara.*

Majo, Junio. ⊙

Culmi palmares, vel vix semipedales. *Folia* brevia, 1-1½ poll. longa, margine scabra, basi aliquando ciliata; suprema breviora. *Vaginae* inferiores pilosae; supremae glabrae, subventricosae, elongatae. *Spica* fere ut in praecedente, sed spiculae gracilio-

res, aristis magis divaricatis; praeterea differt, culmis foliisque brevioribus, pilorum praesentia loco ligulae, toto habitu. Gluma corollina exterior (palea *Presl*) 2-3-aristata, aristis gluma aequalibus vel longioribus, ideoque character variabilis est.

POLYGAMIA–DIOECIA.

FRAXINUS *ROSTRATA. Nob.*

F. foliis trijugis, foliolis lanceolatis glabris argute dentato-serratis sessilibus acuminatis basi cuneatis, floribus nudis, samaris nervosis lanceolatis utrinque attenuatis junioribus mucronatis.

Ic. *nostra t. 63.*

In nemoribus, et sylvis maritimis Calabriae orientalis; *Stilo, Cirò, Cariati:* Lucaniae; *Policoro.*

Februario, Martio. ♄

Arbor magna, facie et altitudine *F. excelsioris*, atque inter hanc et *F. oxycarpam Will.* species media, huic tamen proximior, ut ex descriptione patet. *Ramuli* et *gemmae* fusci, glabri. *Folia* laete virentia; *foliolis* 1-2 pollices et ultra longis, inferioribus (ad petioli basim) angustioribus et brevioribus; omnibus vero apice oblique acuminatis, serraturis saepius mucronatis uncinatis; subtus pallidioribus nervosis, rachide prope basim per 5-6 lineas utrinque, vel altero tantum latere pube densa flavicante copiosa obducta. *Petioli* canaliculati, gla-

berrimi, vel hinc inde pilosi, virides vel pallide flavescentes, ad foliolorum insertionem saepius purpurascentes. *Racemi* solitarii, axillares, pedunculati, penduli, ramosi; pedicellis 4-5 lin. longis, oppositis, binis vel ternis, glabris, fuscis. *Samarae* glaberrimae, 1 ½-2 poll. longae, apice aliquando oblique flexae, utrinque attenuatae, ideoque revera lanceolatae, maturae acutae non mucronatae.

ACER *MARSICUM*. *Nob.*

A. foliis cordatis 3-5-lobis, lobis integris, racemis erectis, fructibus pubescentibus (demum glabratis), alis horizontaliter patentibus introrsum falcatis.

Ic. *nulla.*

In submontosis Aprutii in regione Marsorum; *Pescina*, *Ortona de' Marsi*, una cum *Ephedra monostachya*.

Majo, Junio. ♄

Arbor facie et altitudine *A. campestris*. *Petioli* omnino ut in illo, et *folia* ejusdem coloris, pubescentiae ac magnitudinis; sed lobi saepius obtusi, et fere rotundati ac integri: caeterum primo intuitu distinctum alis fructuum, quae in nostro patentes et externae incurvae; dum in *A. campestri* divaricatissimae, et externe recurvae, sive extrorsum falcatae.

An *A. campestre b. hebecarpum. Dec. pr. s. nat. 1. p. 594*, ad hanc speciem spectat?

CLASSIS XXIV.

CRYPTOGAMIA--FILICES.

ASPIDIUM *DILATATUM*. *Will.*

A. stipite paleaceo, frondibus bipinnatis, pinnulis oblongis distinctis pinnatifido-incisis, laciniis mucronato-serratis, indusiis levibus. *Will. sp. pl. 5. p. 263. Poll. fl. ver. 3. p. 780.*

Ic. Filix mas, ramosa, pinnulis dentatis. *Plukn. alm. 155. t. 181. f. 2.*

F. tenuissime secta, ex monte Bellone. *Bauh. hist. 3. p. 739*, mala.

In nemoribus alpinis Aprutii inter fagorum truncos emarcidos; *Majella nella vallata di S. Spirito.*

Augusto, Septembri. 4

ASPLENIUM *OBOVATUM*. *Viv.*

A. stipite glabro, fronde ovato-lanceolata bipinnata, pinnis pinnulisque exterioribus confluentibus in rachide partiali, superioribus in rachide universali decurrentibus, omnibus obovatis obsolete dentato-crenatis, soris subrotundis distinctis raris. *Viv. novar. spec. diagn.* ad calcem *Fl. Lyb. p. 68. Spr. s. veg. 4. p. 88.*

Ic. *nostra t. 64.*

Lonchitis maritima, Lunariae racemosae quodamtenus foliis, dorso punctatis. *Bon. t. 57 ?* sub *A. rutamuraria a Bertol.* relata.

In maceriis umbrosis humidis, et ad rupes Calabriae occidentalis; *Reggio.*

Aprili, Majo. 2[4]

Filix pro loci natura 2 pollic. ad pedem alta. *Stipes* basi ferrugineo-nigricans, subcompressus, inter pinnas viridis, et hinc inde pilosus vel glaber. *Frons* laete virens, glaberrima, 1-2½ poll. lata, apice simpliciter pinnata; pinnulis saepe invicem incumbentibus, basi obliquis, latere externo latioribus, 2-3 lin. latis longisque, extimis majoribus. *Sori* distincti, demum aliquando subconfluentes. *Indusium* glabrum, semiellipticum, scariosum, albidum.

ASPLENIUM *TENUIFOLIUM. Nob.*

A. stipite glaberrimo, frondibus oblongo-ovatis vel oblongo-lanceolatis, inferne bipinnatis superne pinnatis, pinnulis alternis divaricatis cuneiformibus 2-3-fidis, laciniis linearibus angustis apice 2-3-dentato-incisis, soris linearibus subrotundisve lacinia demum latioribus.

Ic. *nostra t. 65.*

In rupestribus humentibus alpinis montium Aprutii; *Majella nella valle delle cannelle, in*

quella dell' inferno, a Grotta capraja, etc; *Monte Corno a campo aprico.*

Julio, Augusto. 4

Habitus *A. germanici*, sed tenuior et elatior. *Radix* setulis nigris ramentisque pluribus stipitum emarcidorum congestis obtecta, ferrugineo-nigricans. *Stipites* (absque fronde) 2-4-pollicares, subangulati, recti vel tortuosi, superne virides, basim versus nigricantes. *Frondes* 2-3 poll. longae, glaberrimae; pinnulis trifidis; laciniis alternis, apice fere subtruncatis, superne obsolete sulcatis, angustissimis, vix semilineam latis; ideoque sori, qui venis lateralibus impositi oblongi vel subrotundi sunt, ab utrisque marginibus laciniarum demum extant. *Indusia* albida, glabra, margine crenulata, versus costam dehiscentia.

Ab *A. germanico* differt, frondibus magis compositis, pinnulis cuneiformibus incisis non integris, soris magis dilatatis, denique toto habitu. Nulla cum *A. ruta-muraria* affinitas.

APPENDIX (a).

SALVIA *CANDIDISSIMA*. *Vahl.* (*pag.* 10.)

S. caule subaphyllo, foliis cordato-ovatis suberoso-dentatis et subsinuato-angulatis rugosis utrinque incano-lanatis, verticillis summis sterilibus, bracteis concavis acuminatis calyce brevioribus. *Vahl. en.* 1. *p.* 278.

Ic. S. crassifolia. *Sibth. fl. gr. t.* 26.

In aridis calcareis montosis Aprutii meridiem spectantibus; *Monte di S. Nicola presso Colle Armeno nella regione de' Marsi.*

Julio, Augusto. ♂ ?

CYPERUS *AUSTRALIS*. *Schrad.* (*pag.* 16.)

C. culmo triquetro, umbellae simplicis vel subdecompositae radiis elongatis, capitulis densis sessilibus pedunculatisque, involucro universali 5-6-phyllo elongato, partiali subtriphyllo brevissimo, glumis obtusis spiculisque anguste-linearibus. *Schrad. fl. germ.* 1. *p.* 116.

(a) Numeri, qui species sequuntur, operis paginam in qua illae sunt inserendae indicant.

Ic. C. glomeratus. *Host. gram. austr. 3. t. 71*, non *Lin. Seguier. veron. 3. t. 2. f. 2.*

In humentibus herbosis Aprutii; *nelle Lame di Caramanico sotto fonte grande.*

Septembri, Octobri. ♃

Radices fibrosae, apud nos albidae; *spiculae* numerosissimae, dense fasciculatae. *Flores* triandri, monogyni. *Squamae* vix semilineam latae, obtusae, carina et prope margines virentes, ceterum pallide flavescentes dum planta adhuc junior, tandem fere omnino badiae.

PHALARIS *ARUNDINACEA. Lin.* (*pag. 22.*)

P. panicula patente glomerata demum contracta, corolla exteriore penicilliformi bivalvi, interiore nitida. *Lin. sp. pl. 80.*

Arundo colorata. *Will. sp. pl. 1. p. 457.*

Ic. *Host. gram. austr. 2. t. 33. Schrad. fl. germ. 1. p. 180. t. 6. f. 5.*

In humidis, et ad rivulorum ripas in montosis Aprutii; *Pesco Costanzo, Revisondoli.*

Junio, Julio. ♃

Folia apud nos semper concoloria; *spiculae* uniflorae; *glumae* corollae interioris adpresse pubescentes, tamen nitidae.

GALIUM *PALUSTRE*. *Lin.* (*pag.* 69.)

G. caulibus diffusis retrorsum scabris, foliis quaternis obovatis obtusis inaequalibus (brevibus), pedunculis divergentibus fructibusque levibus. *Lin. sp. pl. 153. Bertol. am. it. p. 13.*

Ic. *Fl. dan. 423.*

In humidis, et secus rivulos in montosis Aprutii; *Pesco Costanzo, Revisondoli*, una cum *Sanguisorba officinali;* at apud nos in maritimis vel demissis nunquam provenit, quibus locis varietas *b. Bertol. l. c.* copiose invenitur.

Junio, Julio. 2

Caules una cum *foliis* scabri; *folia* 4-6 lin. longa 1-1½ lata, ideoque breviora et habitu aliquantum diversa ab icone citata; *verticilli* in ramis junioribus approximati.

ASPERUGO *PROCUMBENS*. *Lin.* (*pag.* 86.)

A. caulibus retrorsum muricato-echinatis procumbentibus, calycibus in fructu compressis. *Lin. sp. pl. 198. Ten. fl. nap. pr. p. 14.*

Ic. *Fl. dan. 552. Sibth. fl. gr. t. 177.*

Borago minor, sylvestris. *Column. ecphr. 1. t. 183.*

In ruderatis, vel ad mandras in submontosis Aprutii; *Majella nella valle dell' Orfenta presso il diruto eramo di S. Antonio, e presso S. Spirito.*

Majo, Junio. ⊙

ATHAMANTHA *LIBANOTIS*. *Lin.* (*pag. 117.*)

A. caule sulcato, foliis bipinnatifidis, foliolis inciso-pinnatifidis, laciniis lanceolatis infimis decussatis. *Lin. sp. pl. 351.*

Ic. *Jacq. austr. t. 392.*

Apium petraeum, sive montanum, album. *Bauh. hist. 3. p. 105.*

In pascuis sterilibus montosis Aprutii; *Monte Morrone scendendo a lava rossia, ed alla fonte della Madonna verso Salle.*

Julio, Augusto. 2

Caules simplices vel ramosi, et una cum foliis glabri vel puberuli; *involucra* et *involucella* polyphylla, foliolis linearibus angustissimis pubescentibus ciliatisque; *petala* et *styli* albido-virentes; *umbellae* demissimae; *fructus* oblongi, glabri aut puberuli, tricostati, et inde species haec potius ad *Ligustica* recentiorum, quam ad *Athamanthas* pertinet. In icone *Jacquini* foliola nonnihil latiora, quam in nostra sunt.

ALLIUM *ANGULOSUM*. *Lin.* (*pag. 142.*)

A. scapo nudo ancipiti, foliis linearibus canaliculatis subtus subangulatis, umbella fastigiata, staminibus simplicibus corolla sublongioribus. *Lin. sp. pl. 430.*

Ic. *Jacq. austr. t. 423.*

A. petraeum, umbelliferum. *Bauh. hist. 2. p. 564.*

In herbosis saxorum ad rimas montium Aprutii; *Majella nella valle dell' Orfenta sotto la Mucchia al Nord; e nella valle dell' Inferno.*

Augusto, Septembri. 2

Folia laete virentia, lin. fere lata; *spatha* 1-2-valvis, brevis, scariosa, enervis, obtusa; pedunculi apice subincrassati; *flores* rubentes; *petala* tria exteriora concava, carinata; interiora sublongiora, plana, externe subcarinata; omnia oblonga, levia, obtusiuscula vel acuta, semipatentia; *stamina* coerulescentia, aliquando petalis subduplo longiora; *stylus* demum elongatus, coerulescens; *germen* oblongum, trisulcatum, apice truncatum; *capsula* obcordata, petalis persistentibus longior.

ALLIUM *OCHROLEUCUM*. *Wald.* et *Kit.* (*pag. 142.*)

A. scapo nudo subancipiti, foliis linearibus obtusis subtus planis supra canaliculatis, umbella globosa densa, petalis obtusis, staminibus simplicibus styloque exsertis, germinibus ovatis basi trifoveatis. *Wald.* et *Kit. pl. rar. Hung. 2. p. 204. Spr. s. veg. 2. p. 38.*

Ic. *Wald.* et *Kit. l. c. t. 186.*

In herbosis elatioribus montium Aprutii locis apricis, vel in vallibus ad rupes; *Monte Corno a*

Campo aprico, Majella nella vallata dell' Orfenta sotto la Mucchia al Nord, ed in quella dell' Inferno cum praecedente.

Augusto, Septembri. 2

Videtur varietas *A. suaveolentis Jacq.*; sed ab *Host.* in *fl. austr.* 1. uti diversae species habentur.

ALLIUM *OLERACEUM*. *Lin.* (*pag. 143.*)

A. caule folioso terete, foliis semiteretibus lineari-filiformibus (fistulosis), spatha diphylla foliolo altero umbellam laxam bulbiferam longe superante, staminibus simplicibus aequalibus inclusis. *Lin. sp. pl. 429.*

Ic. *Strum. fl. germ. p. 1. fasc. 34?*

In pratis apricis montosis Aprutii; *Pesco Costanzo.*

Julio, Augusto. 2

Spatha foliolo altero fere bipollicari, acuto; *petala* sordide purpurascentia vel rosea, obtusa, carina intensius colorata; *stylus* exsertus; *germen* virescens, hexagonum. Nostra differt ab icone citata, foliis longioribus aliquando caulem aequantibus; staminibus omnibus aequalibus, non alternis duplo brevioribus; germinibus ellipticis, non conicis ac fere turbinatis.

LUZULA *SPICATA*. *Dec.* (*pag.* 150.)

L. foliis linearibus glabriusculis planis, vaginarum ore piloso, spica glomerato-racemosa nutante, bracteis aristatis prominulis, capsula obtusissima calyces acuminatos aequante. *Dec. fl. fr. 3. p. 161. Spr. s. veg. 2. p. 111.*

Juncus spicatus. *Lin. sp. pl. 469.*

Ic. *Fl. dan. 270. Fl. lapp. t. 10. f. 4.*

In apricis pratis montosis Aprutii; *Solagnano alle falde del Monte Costone, Monte Intermesole, Monte Corno.*

Julio, Augusto. 2

Spica simplex, vel basi subdivisa; *bracteae* apud nos fere semper glabrae.

EPILOBIUM *ORIGANIFOLIUM*. *Lam.* (*pag.* 155.)

E. radice repente, foliis subpetiolatis ovato-oblongis denticulatis oppositis summis alternis caulequе adscendente glabris, petalis bipartitis, stigmate indiviso clavato, capsulis pedunculatis. *Lam. dict. enc. 2. p. 376. Reich. pl. cr. cent. 2. p. 74.*

E. alsinaefolium. *Vill. delph. 3. p. 511. Spr. s. veg. 2. p. 233.*

Ic. *Reich. l. c. t. 180. f. 314.*

In elatioribus montosis Aprutii ad nives deliquescentes; *Majella nella valle dell' Orfenta, ed a Grotta capraja*, ubi saepius cum *E. montano*

occurrit; a quo tamen stigmate quadrifido abunde diversum.

Augusto, Septembri. 2f

Caulis aliquando vix bipollicaris, et tunc *capsulae* caule longiores sunt; *folia* fere integra.

Lysimachia Prunellaefoliis, *Bocc. mus. t. 108*, quae cum dubitationis signo ad *E. alpinum* a Cl. *Hall.* citatur, ob capsulas pedunculatas potius ad hanc speciem spectat.

SEDUM *SEXANGULARE*. *Lin.* (*pag. 186.*)

S. foliis teretibus obtusis erectiusculis adnato-sessilibus sexfariam imbricatis, cyma trifida. *Lin. sp. pl. 620.*

Ic. *Dec. pl. gras. t. 118.*

Sempervivum minimum. *Cam. epit. 836.*

In aridissimis calcareis montosis Samnii; *Monte di Mezzo sul monte della penna.*

Augusto, Septembri. 2f

Caules graciles, steriles decumbentes, floriferi erecti vel adscendentes, ramosi, 2-3-pollicares, raro caespitosi; *flores* flavi, apud nos 2-4 in quolibet cymae ramo, qui tandem subrecurvus; *petala* lanceolata, acuta; *calycis* foliola obtusa; *capsulae* semipatentes, aristatae, demum petalis longiores. In icone *Dec.* folia apice magis attenuata quam in nostra, et patentiora; capsulae acutae et non aristatae.

TEUCRIUM *SCORDIUM*. *Lin.* (*pag. 227.*)

T. caule diffuso villoso, foliis oblongo-lanceolatis dentatis nudiusculis, floribus axillaribus pedunculatis geminis. *Lin. sp. pl. 790.*

Ic. *Fl. dan. 593!*

Scordium. *Dod. pempt. 126.*

In pratis humentibus montium Aprutii; *Pesco Costanzo*, *Revisondoli*, una cum *Veronica scutellata*, *Mentha austriaca*, *Scutellaria galericulata*, *ec.*

Julio, Augusto. 4

Folia nunquam cordata, et ovata, sed semper oblonga, basi angustata, 2-5 lin. lata, pollicem et ultra longa.

Species in aliis regionibus vulgatissima, tamen apud nos satis rara, et nonnisi in pratis montosis proveniens; dum *T. scordioides* (quod absque ullo dubio distinctum) ubique occurrit, et in regionibus praesertim maritimis obvium habemus.

MENTHA *SUAVIS*. *Nob.* (*pag. 233.*)

M. villoso-canescens, foliis petiolatis ovato-ellipticis acutis argute irregulariter serratis basi subcordatis integris superne villosis, bracteis superioribus anguste lanceolato-linearibus verticillo longioribus, staminibus inclusis, spicis linearibus, verticillis inferioribus distantibus.

*

Ic. *nostra t. 56.*

Ad rivulos aquarum thermalium hydrosulphurearum Aprutii; *Caramanico a S. Croce.*

Augusto, Septembri. 4

Caules 2-3-pedales, erecti vel adscendentes, una cum petiolis pilis albidis patentibus deflexisve villoso-canescentes, valde ramosi; ramis adscendentibus. *Petioli* semipollicares, canaliculati. *Folia* plana, 1-2 poll. longa, $\frac{1}{2}$-1 poll. lata, subtus nervosa canescentia, supra adpresse villosa, pallide virentia. *Bracteae* ad verticillos inferiores foliis saepe conformes; reliquae adscendendo angustiores, demum lineares, angustae, acuminatae; omnes vero verticillis longiores, villosae, patentes, sub anthesi et in fructu deflexae. *Spicae* terminales, 2-5-pollicares, centrales longiores; verticillis inferioribus distantibus, supremis approximatis; et aliquando ab basim spicarum flores non re vera verticillati, sed corymbosi, corymbis pedicellatis. *Pedunculi*, et calyces aequilongi undique hispidi. *Calycis dentes* setacei, subaequales. *Corollarum laciniae* obtusae. *Stigma* exsertum. *Odor* gratissimus.

SCUTELLARIA *PALLIDA*. *Marsch.* (*pag. 243.*)

S. racemis spicatis elongatis secundis piloso-hispidis, bracteis petiolatis ovatis acutis calycem superantibus, foliis cordatis crenato-dentatis obtusiusculis villosis. *Marsch. fl. taur. cauc. 2. p. 65. Spr. s. veg. 2. p. 702.*

Ic. *Gmel. sibir. 3. p. 229. n. 52. t. 58.*

In sylvis submontosis, et in sylvaticis maritimis Calabriae; *Corigliano nelle selve sulle alture, e presso il mare.*

Majo, Julio ♃

Habitus hujus nostrae omnino ut in *S. Columnae;* at *flores* non albidi, ut ex *Marsch.* et ex *Gmel.*, sed pallide purpurascentes; interim a *S. Columnae* plane distincta, longitudine bractearum et pubescentia; nam in hac caules et petioli adpresse pubescentes, bracteae calyce breviores vel ad summum aequales: in *S. pallida* illi pilis mollibus patentibus obsiti; istae calycem excedentes.

ARABIS *NIVALIS. Nob.* (*pag. 276.*)

A. caulibus adscendentibus simplicibus, foliis glabris margine pilis ramosis ciliatis, radicalibus ovalibus integris longe petiolatis, caulinis oblongis subamplexicaulibus, racemo laxiusculo siliquisque glabris erectis, pedicellis calyci subaequalibus, seminibus immarginatis.

Ic. *nulla.*

In herbosis pratis alpinis ad nives deliquescentes; *Majella alla rapina, a Monte Amaro, a Grotta capraja; Monte Corno a Campo aprico, Monte Costone, Monte Intermesole.*

Junio, Augusto. ♃

Radix fibrosa, caespitosa, perennis, aliquando

profunde descendens. *Caules* adscendentes, saepius incurvi vel fere horizontales, raro flexuosi, teretes, glaberrimi, leves, 2-3 poll. longi. *Folia* laete virentia, glabra, levia, ad margines tantum (at non semper) pilis ramosis hinc inde conspersa; radicalia rosulata, integerrima, laete virentia, apice rotundata, 2-3 lin. lata, 4-6 lin. longa, petiolo semipollicari et ultra; caulina sessilia, obtusa, oblonga, lin. lata, 3-4 lin. longa. *Flores* albi. *Calycis* foliola oblongo-linearia, concaviuscula, glabra, colorata, petalis dimidio breviora. *Petala* obovata, integra, rotundata. *Siliquae* leves, erectae, sed non axi adpressae, vix lin. latae, pollicem longae, glabrae, compressae, stylo brevi obtuso terminatae, pedicellatae; *pedicellis* vix lin. longis. *Semina* subcompressa, levia, nullo margine cincta.

Habitus *A. pumilae*, *Vulf.* in *Jacqu. austr. t. 281 fig. minor;* praeterea affinis *A. stellulatae Bert.* et *A. serpyllifoliae Vill.*; differt a prioribus seminum charactere, nam immarginata sunt; a posteriore habitu, loco natali, foliis inferioribus petiolatis, etc.

MEDICAGO *OLIVAEFORMIS. Nob.* (*pag. 316.*)

M. pubescens, foliolis rhombeo-obovatis denticulatis, stipulis semisagittatis ciliato-dentatis, pedunculis 1-3-floris, leguminibus ovatis, anfractibus 4-6 crassissimis concretis reticulato-nervosis, margine verrucoso-tuberculatis. *Moris. stirp. sard. Elench. fasc. 2. p. 3.*

Ic. *nulla.*

Inter segetes Calabriae orientalis; *da Melito a Cassano.*

Aprili, Majo. ⊙

Caules molliter, et patente pubescentes; in foliis inferioribus *foliola* aliquando obovata: omnia argute denticulata, subtus magis pubescentia; *stipulae* acutae vel acuminatae, quandoque inferiores semiovatae; *pedunculi* petiolis longiores, saepius biflori; *legumina* basi plana, apice convexiuscula, apud nos glabra, 2-5 lin. longa.

LEONTODON *ALPINUM. Hoppe.* (*pag. 325.*)

L. calyce exteriore reflexo foliolis ovatis acutis, foliis runcinato-dentatis glabris, laciniis triangularibus retrorsum imbricatis. *Hopp.* in *Sturm fl. germ. p. 1. fasc. 41. Spr. s. veg. 3. p. 658.*

Ic. *Sturm. l. c.*

In pratis alpinis montium Aprutii: *Monte Corno, Monte Intermesole, Monte Costone, Morrone, Majella;* quo in loco una cum *Apargia alpina* ac *A. aurantiaca* provenit, appellaturque vulgo *Cicorietta di Salle.*

Augusto, Septembri. ♃

Folia apud nos glaberrima, lucide et laete virentia; primordiala saepius lanceolata non runcinata, sed hinc inde denticulata ac ad margines crispa; inferne ad rachidem aliquando villosa. *Sca-*

pi erecti, demum deflexi, arcuati, glabriusculi. *Semina* apicem versus muricato-scabra.

HIERACIUM *COLUMNAE*. *Ten.* (*pag. 325.*)

H. scapo unifloro subnudo, calycibus glabris, foliis nitidis (laete virentibus) runcinato-pinnatifidis, laciniis divaricatis lanceolatis integerrimis obtusiusculis, radice fibrosa. *Ten. fl. nap. pr. app. 5. p. 26.*

Apargia lucida. *Ejusd. fl. nap. 2. p. 164.*

Ic. *Ten. l. c. t. 70.*

Hieracium pumilum 1111. *Column. ecphr. 2. p. 31. t. 29.*

b. scapo unifloro foliis runcinato-pinnatifidis subintegrisque, calycibus hispidis basi subpuberulis.

c. scapo bifloro foliorum rudimentis hinc inde instructo, foliis calycibusque ut in praecedente.

In pratis elatioribus Samnii; *Capracotta* (*Matese*, *Ten. l. c.*): Aprutii usque ad nives deliquescentes; *Monte corno*, *Campo aprico*, *Monti di Aquila*, *Chiarano*, *Majella*, *Morrone*.

Julio, Augusto. 4

Foliorum incisione et habitu haec species apud nos mire variat. *Folia* semper glaberrima, sed nunc omnino integra, saepius vero runcinato-pinnatifida, laciniis acutis vel obtusiusculis. *Scapi* squamis una aut plurimis linearibus instructi; pollicares vel semipedales, erecti vel adscendentes, 1-2-flori, una cum calycibus glabri, puberuli, vel apice subhi-

spidi. *Pili* papporum scabriusculi, et inde inter *Hieracia* et *Apargias* species media.

In Aprutio ac Samnio inter olera adhibetur, et vulgo *Cicorietta di montagna* appellatur, sub quo nomine saepe cum praecedente confunditur. Ovibus pabulum praestantissimum aestivis mensibus praebet; ideoque prata elatiora, in quibus frequentius una cum graminibus permixtum occurrit, prae caeteris in pretio sunt.

SENECIO *CACALIASTER*, *b. radiatus. Dec.* (*pag. 348.*)

S. foliis lanceolatis utrinque attenuatis argute serratis membranaceis sessilibus, inferioribus subdecurrentibus glabris, corymbo composito terminali, squamis calycinis patulis. *Dec. fl. fr. supp. p. 474. Spr. s. veg. 3. p. 556.*

Cacalia saracenica. *Lin. sp. pl. 1169.*

Ic. Virga aurea, sive Solidago saracenica, latifolia, serrata. *Bauh. hist. 2. p. 1063.*

In sylvis, et nemoribus umbrosis Aprutii ac Samnii.

Julio, Augusto. 4

Habitus S. Fuchsii, *Gmel.*; sed *flores* in nostro radiati, *bracteae* elongatae lineari-setaceae.

FINIS.

INDEX GENERUM

Adn. *Cursivae literae synonyma vel plantas comparatas indicant.*

A

Acer..... Pag. 315
Acynos..... 242
Adonis..... 218
Aegylops..... 371
Aethusa..... 120
Agave..... 146
Agrostis..... 20
Agrostis..... 19, 37, 57
Aira..... 21
Aizoon..... 204
Alisma..... 154
Allium..... 142, 382
Alopecurus..... 27
Alyssum..... 268
Alyssum..... 266, 270
Ammi..... 128
Anacyclus..... 356
Anchusa..... 81
Anchusa..... 84
Anethum..... 120
Anthemis..... 352
Anthemis.. 339, 356, 357, 358
Anthyllis..... 293
Antirrhinum..... 253
Antirrhinum... 247, 249, 251

A

Apargia..... Pag. 391, 392
Apera..... 20
Arabis..... 276, 389
Arenaria..... 183
Arnopogon..... 319
Arrostia..... 160
Artemisia..... 340
Arum..... 369
Aspalathus..... 293
Asparagus..... 145
Asperugo..... 381
Asperula..... 69
Asperula..... 69
Aspidium..... 376
Asplenium..... 376
Aster..... 348
Asterocephalus.. 63, 64, 65, 67
Astragalus..... 304
Astragalus..... 303, 304
Athamanta..... 382
Athamanta..... 132
Atragene..... 217
Atropa..... 104
Aubrietia..... 265
Avena..... 49

B

Berteroa.....Pag. 270
Bidens..... 338
Biscutella..... 272
Biserrula..... 305
Brachypodium..... 39, 60, 61
Brassica..... 278
Brignolia..... 130
Bromus..... 40
Bulliarda..... 80
Bupleurum..... 112
Buxus..... 157

C

Cacalia..... 393
Cachrys..... 121
Cachrys..... 123
Calendula..... 363
Callitriche..... 2
Calotheca..... 30
Caltha..... 226
Calystegia..... 90, 91
Camelina..... 262
Campanula..... 92
Campanula..... 97
Camphorosma..... 77
Capnophyllum..... 122
Capparis..... 210
Carduus..... 334
Carduus..... 335, 336, 337
Carex..... 366
Carlina..... 333

C

Catananche.....Pag. 331
Celsia..... 254
Centaurea..... 358
Cerastium..... 186
Cerinthe..... 85
Chaerophyllum..... 127
Cheiranthus..... 275
Chenopodium..... 110
Chilochloa..... 26
Chrysanthemum..... 349
Cichorium..... 332
Cicuta..... 123
Cirsium..... 336, 337
Cistus..... 213, 215
Clematis..... 217
Clypeola..... 270
Cnicus..... 335
Cnidium..... 132
Cochlearia..... 262
Conium..... 123
Convolvulus..... 89
Conyza..... 346
Coronilla..... 298
Corynephorus..... 21
Cotoneaster..... 201
Cotula..... 340
Crepis..... 328
Crucianella..... 68
Crypsis..... 24
Cucubalus..... 175
Cynanchum..... 109
Cynoglossum..... 84

C

Cynosurus..... Pag. 31, 48
Cyperus..... 16, 379
Cytisus..... 294

D

Dactylis..... 30
Damasonium..... 155
Danthonia..... 37
Daphne..... 156
Daucus..... 125
Dianthus..... 166
Draba..... 266

E

Echinophora..... 111
Echinops..... 364
Echium..... 86
Ephedra..... 375
Epilobium..... 385
Eriea..... 155
Ernodea..... 69
Erodium..... 281
Eryngium..... 110
Euphorbia..... 190

F

Farsetia..... 266, 270
Fedia..... 14
Festuca..... Pag. 33
Filago..... 344
Fraxinus..... 374
Fritillaria..... 144

G

Galanthus..... 140
Galeopsis..... 236
Galium..... 381
Geranium..... 283
Gnaphalium..... 343
Gypsophyla..... 160

H

Hagea..... 108
Hedysarum..... 301
Heleocloa..... 24, 25
Helianthemum..... 212
Helleborus..... 224
Heracleum..... 133
Hesperis..... 276
Hieracium..... 325, 392
Hippocrepis..... 300
Holchus..... 53, 54
Hordeum..... 57
Hutchinsia..... 262
Hypecoum..... 77
Hypericum..... 317

I

Iberis ..... Pag. 262
Illecebrum 105
Imperatoria 134
Isatis 274

J

Juncus 148
Juniperus 370

K

Knautia 62, 66
Koeleria 47

L

Lahaya 108
Lamium 233
Lappago 30
Laserpitium 135
Lasiospermum 340
Lathyrus 295
Lavandula 231
Lavatera 286
Leontodon 391
Lepidium 264
Ligusticum 130
Ligusticum 130, 133
Linaria 246
Lobelia 105

L

Lonicera ..... Pag. 99
Lotus 312
Lupinus 294
Luzula 385
Lygeum 18
Lythrum 188

M

Malcomia 276
Malope 288
Malva 284
Mandragora 104
Marrubium 240
Mathiola 275
Matricaria 349
Medicago 313, 390
Melampyrum 244
Melilotus 306
Mentha 387
Mesembryanthemum 203
Mespilus 201
Meum 119
Micropus 345
Milium 19
Mollia 108
Moricandia 277
Muscari 145
Myagrum 262
Myosotis 81
Myrrhis 127

N

Nepeta..... Pag. 230
Nigella..... 216

O

Odontites..... 114, 115, 116
Ononis..... 290
Orchis..... 365
Orobus..... 295
Oxytropis..... 303

P

Panicum..... 29
Panicum..... 57
Paronychia.... 105, 106, 107
Pavetta..... 69
Pedicularis..... 246
Peplis..... 150
Periploca..... 109
Phaca..... 303, 304
Phalaris..... 22, 380
Phalaris..... 24, 26
Phleum..... 26
Phleum..... 26
Phyteuma..... 97
Picris..... 325
Pimpinella..... 118
Pinguicula..... 7
Piptatherum..... 19
Plantago..... 71
Poa..... 31
Poa..... Pag. 61
Polycnemum..... 15
Polygala..... 289
Polygonum..... 157
Polypogon..... 28
Potentilla..... 208
Prasium..... 243
Prismatocarpus..... 96
Pterocephalus..... 66
Punica..... 200
Pyrethrum..... 349
Pyrus..... 202

Q

Quercus..... 368

R

Ranunculus..... 219
Rhus..... 137
Robertia..... 330
Rubus..... 207
Rumex..... 150
Ruta..... 158

S

Saccharum..... 57
Salicornia..... 1
Salsola..... 110
Salvia..... 8, 379

S

Sanguisorba..... Pag. 381
Santolina..... 338
Saponaria..... 163
Saponaria..... 161
Satureja..... 227
Saxifraga..... 159
Saxifraga..... 63
Scabiosa..... 61
Scandix..... 126
Schenodorus..... 34, 36, 37
Scilla..... 144
Sclerochloa..... 31, 32
Scolymus..... 333
Scorzonera..... 319
Scrophularia..... 255
Scutellaria..... 388
Sedum..... 184, 386
Sedum..... 199
Selinum..... 135
Sempervivum..... 199
Senecio..... 393
Seriola..... 331
Seriola..... 63, 330
Seseli..... 117
Sibbaldia..... 140
Sideritis..... 232
Silene..... 170
Sinapis..... 280
Sison..... 118
Sisymbrium..... 275
Sium..... 130
Spartium..... 290

S

Spiraea..... Pag. 205
Stachys..... 238
Statice..... 139
Stellaria..... 181
Sternbergia..... 141
Stipa..... 48

T

Tamarix..... 138
Teesdalia..... 264
Teucrium..... 387
Thalictrum..... 218
Thapsia..... 134
Thesium..... 98
Thlaspi..... 263
Thymbra..... 242
Thymus..... 241
Tillaea..... 80
Tordylium..... 124
Tordylium..... 123
Tragium..... 117
Trichera..... 62
Trichodium..... 20
Trifolium..... 307
Trifolium..... 306
Triglochin..... 153
Triodia..... 37
Trisetum..... 53, 54
Triticum..... 60
Triticum..... 39
Trollius..... 223

V

Valeriana..... ...Pag. 13
Verbascum..... 100
Verbena. 244
Vesicaria..... 266
Veronica..... 5
Vicia..... 298

X

Xeranthemum.....Pag. 340

Z

Zapania..... 244

ADDENDA, ET EMENDANDA.

Pag. 8 l. 20 deflexis *lege* reflexis.
11 .. ad icones SALVIAE HAEMATODES adde: *Schrank. pl. rar. Hort. monac. t. 5*, mediocris.
18 .. ad icones LYGEI SPARTI adde: *Gäert. de fruct. 3. t. 181. Schreb. gram. t. 52, et 53* optimae.
27 .. ad icones PHLEI ARENARII adde: *Sturm. fl. germ. p. 1. fasc. 29.*
29 13 *in fine adde:* aristis glumae corollinae brevissimis, et aliquando obliteratis.
id. 20 *Smith* lege *Sibth.*
33 .. ad loca natalia POAE COMPRESSAE adde: *Pescocostanzo.*
37 ult., calycina, *lege* corollina
47 23 cilindracea *lege* cylindracea.
49 .. ad loca natalia STIPAE CAPILLATAE adde: *Capistrello, Colle Armeno, Rajano, Monte Salviano.*
52 10 *post* ciliatam *lege* (rudimentum flosculis imperfecti gerens, *Host.*)
id. 12 *post* longae *pone*,
53 21 composita *lege* compacta.
57 .. ad icones SACCHARI TENERIFFAE adde: *Jacq. fil. ecl. gram. 1. t. 43.*
59 1 *tab. 1.* lege *tab. 11.*
id. 26 *1634* lege *1632*
60 3 in fine pone;
62 18 *ante* 10 *pone:* pappo.
64 .. SCABIOSA COLUMBARIA *prolifera*, potius uti varietas S. GRANDIFLORAE habenda est.

Pag. 75 l. 19 fructicosus *lege* fruticosus.
76 20 *post* longi *dele, et mitte.*
77 7 varias *lege* variat.
81 6 dele *Linn.*, et lege *Poir.*
82 6 *Fl. per.* lege *Fl. por.*
id. 22 cui *lege* curvi.
88 6 inclusi *lege* inclusis.
id. 22 acuta *lege* obtusa.
89 6 *post* albida *adde:* ac.
90 19 rare *lege* raro.
97 PHYTEUMA COLLINUM nostrum an varietas *P. stylosi* Schrank. *pl. rar. Hor. monac. t. 49?*
id. 6 *tab. 18* lege *tab. 19.*
98 2 caule stricto *lege* caule adscendente.
id. 5, et l. 22 *tab. 19.* lege *tab. 20.*
116 5 *tab. 183. f. 322* lege *tab. 168. f. 299.*
122 CAPNOPHYLLUM DICHOTOMUM *lege* KRUBERA LEPTOPHYLLA: ne cum *Capnophyllo Gaërt.* ad aliam plantam spectante confundatur.
124 4 extima *lege* extimo: oblonga *lege* oblongo.
id. 5 lanceolata *lege* lanceolato.
127 8 involucri *lege* involucelli.
130 LIGUSTICUM CUNEIFOLIUM nostrum, quod ab icone L. PYRENAEI *Gou.* certe recedit, a speciminibus siccis gallicis habitu non differt, nisi foliolis tantum latioribus, et apice magis dilatatis.
131 9 exsiccarum *lege* exsiccatarum.
136 LASERPITIUM MEOIDES *lege* THAP-

sia meoides, nam ob fructuum formam potius ad Thapsias quam ad Laserpitia spectat.

Pag. 138 l. .. *ad descriptionem* Tamaricis Africanae *addatur: folia* in nonnullis virentia, apice fere calloso-mucronata, juniora aliquando subpatentia, 2 lin. longa: quae vero ad basim ramorum inserta reliquis breviora sunt. *Bracteae* ovatae et breviores ad basim pedunculorum; florales longiores, 3 lin longae, fere lineares, canaliculato-concavae, margine saepius rubentes, et superne ac apice subscariosae. *Styli* aliquando quatuor.

153 11 situm *lege* sit.

160 ult. foliolis *lege* dentibus.

161 3 coalinis *lege* coalitis.

177 26 *post* emarginatis *adde:* coronae laminae bipartitae, laciniis apice bidentatis.

178 26 Lychpnidis *lege* Lychnidis.

188 9 dele: *nulla.*

195 4 *dele* longitudinaliter.

195 .. *ad icones* Euphorbiae myrsinites *adde: Sibth. fr. gr. t. 471*, uti ex collatione speciminum cum icone me Cl. *Bertoloni* monuit.

199 1 *dele* .1-

200 13 *adde in fine;* ex Cl. *Bertoloni* icon *Fl. gr.* cum Sedo rostrato omnino convenit.

211 10 *Catanaro* lege *Catanzaro.*

212 10 *cant.* lege *cent.*

249 23 calcarei *lege* calcare.

251 .. *ad icones* Linariae strictae *adde:* Linaria sicula folio Galii. *Robert ic.* optima!

254 11 amoeno *lege* amoene

259 5 usque ad demissiora ubique Aprutii monte occurrit *lege:* ad demissiora ubique in Aprutii montibus occurrit.

264 .. Ad icones *Teesdaliae Lepidii* adde: *Reich. pl. crit. cent. 4. t. 398. f. 583, 584.*

272 ult. *siculae* lege *siliculae.*

296 25 villoso-pubescentia *lege* villoso-pubescentibus.

348 14 Apter lege Aster.